
DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA
Taylor Institution.

# ACTA LITTERARIA.

SCRIPSIT

CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*

IVVENAL.



*VOLVMINIS IV. PARS I.*

*ALTENBVRGI*

EX OFFICINA RICHTERIA.

CIↃ IↃ CC LXVII.

# ACTA

# I.

## Anmerkungen über die Geschichte der Kunst des Alterthums.

Dresdae, 1767. sumtu Waltheri. pl. 22. 4.

Ea nos oratione meminimus laudare et commendare Archaeologiam artium a Cl. Winkelmanno conscriptam (*), quae, nos bene cupere auctori illiusque famae et nomini fauere, luculenter ostenderet. Vehementer enim placebat viri, artium multarum cum elegantia gnari, ingenium atque eruditio, nec, quid ab illo sperari exspectarique posset, ignorabamus, qui in ea vrbe versaretur, vbi maxima est pulcherrimorum monimentorum copia, nec ea satis cognita Italis, quorum alienam ab artibus videndis tarditatem obscuramque et in notissimis rebus explicandis

 defixam

(*) in *Volum. I.* p. 336.

defixam diligentiam tot libri, inde ab aliquo tempore ex ea regione ad nos allati, testantur. Licet igitur indignaremur, asperius Cl. Winkelmannum viros quosdam doctos et bonos, leuissimos interdum ob errores, castigasse, quam pro innocentia harum litterarum: licet magnam eorum partem, quae Winkelmannus primus dixisse videri cuperet, dudum a nobis lectam esse in aliis libris recordaremur: licet etiam intelligeremus, admonendum esse de quibusdam auctorem, delenda alia, alia mutanda, noluimus tamen eorum quidquam, quae tum in mentem nobis venirent, exponere. Semper enim, nescio quomodo, in animo versabantur illa olim a nobis lecta: *Magna ars est contra artifices loqui et apud illos aliquid agere, qui se putant omnia praeuidere* (*). Verum his animaduersionibus lectis, e quibus hoc certe intelleximus, non delectari Auctorem erroribus suis nihilque humani a se alienum esse censere, nos quoque consilium nostrum mutauimus. Hinc harum animaduersionum, quibus et emendare et illustrare Vir Cl. studuit multa Archaeo-

(*) in Cassiodor. Var. II, 6.

Archaeologiae capita, argumentum ita recensebimus, vt libere vbique, quae nobis nec probabilia satis nec firmata cum auctorum tum monimentorum veterum auctoritate videantur, indicemus. Quae quidem omnia non ex infenso animo profecta aut eo consilio dicta esse censebit Viri Cl. humanitas, vt, quam lubenter ipsi integram relinquimus, comparatam ingenio et eruditione laudem minuere conemur, sed recordabitur potius veterum artificum rationem, quorum quemque suum opus a vulgo considerari voluisse Cicero narrat, vt, si quid reprehensum esset a pluribus, id corrigeretur, eosdemque et secum et cum aliis, quid in iis peccati, exquisiuisse, ideoque potius placido animo hanc

*Inter victrices hederam sibi serpere lauros*

patietur.

De praefatione pauca dicemus. Primum in ea Vir Cl. narrat, quam viam ipse in antiquarum artium scientia sibi comparanda formandoque de iis iudicio iniuerit, quamque antiquitatum addiscendarum rationem secutus sit. Deinde quaedam addit, quibus animaduer- p. 1-16.

aduerſiones ipſae augentur et quae ſuis locis addi poſſunt. Denique queritur de Gallica, quae Pariſiis prodiit, Archaeologiae verſione, de qua ſe non ſine moleſtia animi cogitare profitetur, quamque tot erroribus ſcatere dicit, vt vix quenquam librum in aliam linguam peius translatum turpiusque contaminatum eſſe exiſtimet.

Ipſae hae animaduerſiones in *duas* partes deſcriptae ſunt, quarum prior
p. 1-9. capita *quatuor* complectitur. In *cap. I.* cum de origine artium apud Graecos, tum de materia, e qua formata fuerunt ſigna antiqua, agitur. Quod ad illam attinet, opera, inquit, naſcentium artium, vt pulcherrimi, dum in lucem eduntur, homines, informia fuerunt, florentium vero et decreſcentium ſimilia ſunt magnis fluuiis, qui, vbi ampliſſimi eſſe deberent, aut in paruos riuos abeunt, aut plane euaneſcunt. Ars linearis Aegyptiorum comparari poteſt arbori, cuius vlterius incrementum vermis aliusue caſus impedit. Nunquam enim illa ad perfectionem perducta, eandem ſemper faciem vsque ad tempora Graecorum Regum retinuit. Non alia ratio fuiſſe videtur artium in

Perſia.

Persia. Ars Etruscorum torrenti conferetur de saxis cum impetu inter scopulos praecipitanti, ob duritiem et quasi violentiam quandam; Graecorumque fluuio puro, sinuosis flexibus per foecundam longamque vallem erranti ita, vt, licet augeatur, nunquam tamen exundet. — Non videntur artes Graecis ab Aegyptiis traditae, sed in Graecia natae fuisse. — Statuaria multo antiquior est quam pictura. — Palladium, cuius species ab Auctore describitur, ad antiquissima, quarum notitia ad nos peruenit, signa referendum est. — Reliqua huius capitis pertinent ad opera vitrea, quibus conficiendis valde excelluerunt veteres, longeque recentiores superauerunt. [Quae de pateris vitreis dicit, quas suspicatur torno formatas esse, confirmantur loco Plinii de vitro (*): *aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo caelatur*, vbi Harduinus Martialis locum memorabilem laudauit.] Sapientia veterum et elegantia in pictura vasorum laudata, omnibus eadem praefert porcelanis nostris, nec horum vnum praeferre quidquam censet, quod eru-

 diat,

(*) in *Hist. Nat.* L. XXXVI. *s.* 66.

diat, dignumque fit materiae praestantia. [Quae quidem querela acerba magis videtur quam vera. Misnicorum magnam partem scitissimis imaginibus ornatam esse vidi, atque vascula in manibus habui plura, quae non magis ab erudito linearum et colorum ingenio quam ab argumenti elegantia se commendarent. Certe in Misnicis non credo me ea voluptate consideraturum fuisse Troiani belli historiam, aut, quas vnice Vir Cl. amat, allegoricas species, qua contemplatus sum in multis Berghemianarum tabularum imitationem. In Fauentinis fictilibus memini Christium (*) aestimare non solum scitam linearum subtilitatem, sed depromtas quoque ex historia fabulari rerum antiquarum species laudare.]

p. 10-18. In *Cap. II.* quod ad artes Aegyptiorum pertinet, Vir Cl. de colore et statura Aegyptiorum, de lineis et ratione artificum, de forma deorum, de symbolis cum numinibus tum regibus additis, de vestimentis figurarum, de materia signorum exponit. — Non omnes statuae Aegyptiorum demissa brachia praeferunt. Est hic virilium statuarum habi-

(*) *de Murrinis veterum* p. 38.

habitus: in foeminis rectum brachium dependet, sinistrum sub pectore visitur. — Quae apices obeliscorum ornant, figurae, non dii, sed reges sunt, nec, vt Diodorus putauit, aratrum manu tenent, sed baculum, cuius capiti auis imposita est. — Dubia esse videtur antiquitas odae Anacreonticae, in qua Parthorum et tiarae mentio fit.

Καὶ Παρθαίους τις ἄνδρας
Ἐγνώρισ' ἂν τιάραις.

quomodo enim Parthorum nomen Graecis Anacreontis aetate notum esse potuit? [Loquitur Vir Cl. de carmine LV. vbi, (nam ipse vitiose locum attulit) legitur:

Καὶ Παρθίους τις ἄνδρας
Ἐγνώρισεν τιάραις.

Ob hos versus longe ante Auctorem Stephanus et Taneguidus Faber carmen spurium existimauerunt. *Parthi*, inquit Faber, *quorum in hocce odario mentio fit, Anacreontis tempore nondum noti erant*. Sed contrariam sententiam ex Herodoto tuetur Barnesius (*).] Copiose etiam agitur de

 Porphy-

(*) v. Herodot. L. III. c. 93. p. 245. ed. Wesseling.

Porphyrite lapide. [Dubitanti vero Auctori vtrum in Aegypto Porphyrites nascatur, an in Arabia tantum, excidisse videtur memoria locus Plinii (*): *statuas* ex *eo* (i. e. Porphyrite) *Claudio Caesari procurator eius in Vrbem ex Aegypto aduexit Vitrasius Pollio.*]

p. 19-28. In *cap. III.* ad Etruscos Auctor progreditur, quorum historiam breuiter exponit. Nam artem linearem a Graecis traditam illis fuisse cum ob Graecas, quae Etruriam occupauerunt, colonias putat, tum ex imaginibus colligit, quae Graeca ex historia sumtae in Etruscis signis et vasis apparent. Hinc de duplici Graecorum migratione in Etruriam agit, quarum prima ad rem propositam non pertinet, altera trecentis post Homerum annis accidit. Tum historia Graecorum in Etruriam allata fuit, vbi tamen, vt solent arbores in aliud solum translatae, paullo aliam formam accepit. In Etruscis operibus Homericae fabulae apparent, sed diuersae sunt hae imagines a poetae versibus. Graecorum artifices antiquissimi alas addiderunt deorum imaginibus, acceptas procul

(*) in H. N. L. XXXVI, c. XI.

procul dubio ab illis Etrusci easdem plurimis, Geniorum praecipue, imaginibus applicuerunt. — Altera huius capitis pars spectat ad fata artium in Etruria. Artes vero apud Etruscos eadem, qua apud populos alios, ratione conformatae fuerunt, id est, imitatione naturae. Hac quasi duce ars in viam ducta mox eandem deseruit sibique soli relicta a recto tramite aberrauit, coacta demum ad primam magistram redire. Imitationis primae nulla exstant documenta: aberrationem testantur antiquissima opera: emendationem reditumque ad naturam serius confecta ostendunt. Hinc Auctor artificibus Etruscis duplicem rationem (stilum ipse appellat) pro diuersis temporibus tribuit. Antiquiora opera cum in delineatione totius corporis tum singularum partium genium artis Aegyptiacae spirant: seriora opera ostendunt, Etruscos imitari iterum voluisse naturam, sed aberrasse, nec tenuisse modum, dura reddidisse opera, eadem Venere priuasse, inprimis crines laborem difficilem prae se ferre. Hanc rationem obseruat in lupa aenea, quae in Capitolio est, eamque putat ideo ab Etrusco artifice

artifice factam esse, praesertim cum Romani initio ex hoc populo artifices arcessiverent. Hanc eandem esse existimat lupam, quam Cicero fulmine tactam fuisse narret. — Reliqua signa praeter ea, quae ab arte lineari et opere repetuntur, vnde Etruscorum artificum manus cognoscantur, fallacia sunt. — Sequuntur animaduersiones quaedam de nouissimis operibus Etruscis, e sepulchris vetustae vrbis Tarquinii erutis fictilibusque et pictis vasis, vt putant, Etruscis, quae Auctor partim Campana, partim Graeca esse censet.

p. 29-84. Longius reliquis est *Cap. IV.* quo ars Graecorum explicatur. Descriptum est illud in partes quinque. In prima non solum caussae commemorantur, quae florem artium in Graecia iuuerint, et ad quas Auctor coeli et aeris temperiem atque clementiam, pulchritudinis cultum et honorem, statuarum venerationem, hilare Graecorum ingenium, cui tot ludorum festorumque dierum institutio debetur, refert, sed etiam origo, progressus et incrementa artium enarrantur. — De antiquissimo artium genio loquitur, nec tamen prima tentamina attingit, sed ea opera, in qui-
bus

bus iam efflorescens ars apparet, recen- set. Ipsam artificum rationem comparat stilo Herodoti et aequalium, cui numerus, sententiam certa quadam circumscriptione definiens, deest. — Artificum manus illis temporibus inprimis deorum statuas elaborabant. Sera quoque et aurea aetas hanc rationem retinuit, vt statuis maiorem antiquitatis speciem augustioremque formam conciliaret. — Altera pars habet disputationem de pulchritudine triplicem. Primum agit Auctor in vniuersum de pulchritudine, vbi de eurythmia, seu, de conuenientia partium, cuius in obseruatione veteres interdum peccauerunt, et Venere ex ore vultuque eminente sententiam dicit: deinde transit ad idealem pulchritudinem heroum, inprimis Telephi et Amazonum, deorum et brutorum. [Miror Virum Cl. durius reprehendere recentiores artifices, Plutoni p. 44. bidentem tribuentes, quem eos dicit repetiisse e tabulis, in quibus daemones furcis eiusmodi instructi appareant: antiquis in monimentis Plutonem longum sceptrum tenere. Noui hoc, et memini hoc sceptrum conspici in picturis, quae sepulchrum Nasonum or-

nauerunt,

nauerunt (*), atque etiam in numis (**). Sed bidentis quoque tum origo, tum exemplum minime latet. Nolo aliquid dicere de gemma a Maffeo edita (†) in qua Pluto tridentem tenet, quia alii Neptunum esse hunc deum existimant. Clarius documentum exhibent numi antiqui. Nam vncus, seu bidens, additus est capiti Plutonis in numis gentis Noniae, Claudiae, Corneliae et Neriae (††).] Denique pulchritudo singulorum membrorum, vt frontis, quam angustam placuisse docet, supercilii, oculorum, reliquorum, explicatur. Inprimis agit de pulchritudine iuuenilis aetatis, cuius vt perfectam formam veteres exprimerent, vtrumque genus commiscuerunt, vt in signis Eunuchorum, quales sunt sacerdotes Cybeles, et Hermaphroditorum. [Mihi de statuis Hermaphroditorum cogitanti

(*) v. *Picturas antiquas sepulchri Nason. delin. et aeri incisas a Petro Sancto Bartolo* tab. VIII. adde Montfauc. *Antiqu.* T. II. p. 156.

(**) v. *Seguini Sel. Numism.* p. 28.

(†) v. Montfauc. *Antiqu.* T. I. t. 41. n. 2.

(††) vid. Vaillantii *Num. Familiar.* T. I. p. 330. et T. II. p. 172. et 179. et *Thesaur. Morellian.* T. II. p. 294.

cogitanti ideo semper probabilis visa fuit eorum opinio, qui pulchritudinis summae exprimendae caussae artifices haec signa fabricatos esse existimant, quia in istis signis summa est omnium partium conuenientia, nihil deforme, nihil quod efflorescentem ex partium consensione gratiam minuat. Contra haec membrorum congruentia minime apparet in iis, qui vulgo Hermaphroditi censentur, nec eadem locum habere poterit, in veris, si natura eos procreet, Hermaphroditis.] Transit tum Auctor ad virilem aetatem, quam iuuentutis flore exhilaratam videmus in deorum statuis. Iupiter, Neptunus et *Bacchus* Indicus barba et capillis plurium annorum aetatem testantur, sed nec rugae adsunt, nec depressa tempora, nec ossa exstantia. Certorum hominum quoque in imaginibus, quantum sine detrimento similitudinis fieri poterat, artifices ideali formae accedebant. Minutias quasdam, quae nil ad similitudinem exprimendam facerent, praeterierunt. Non expresserunt rugas, quas aetas postulabat, sed, vbi pulchritudini non officiebant, id est, sub mento et prope collum, eas indicauerunt.

runt. — In parte tertia agitur de actione et motu omnium membrorum totiusque corporis. Veteres artifices vbique magnam modestiam amabant, quam, si bacchantes excipias, saltantes quoque spirant. In publicis monimentis non ea adfectuum vis et vehementia expressa est, quae in priuatis locum habebat. Hinc numus, ab Oecone et Mezzabarba datus, in quo Assyrius et Assyria ad palmam alligati capillos sibi euellunt, vel hanc ob causam spurius est. [Nescio an minus durum sit, captiuos reuinctis post tergum manibus capillisque tractos a victore exhibere. Haec tamen imago cum in numis tum in arcubus triumphalibus saepe conspicitur. Nec credo pauorem terribilius posse fingi, quam ille apparet in numis gentis Hostiliae (*).] Indecorus censebatur status heroum decussatim positis pedibus. Soli Deorum Apollo et Bacchus interdum hac forma conspiciuntur: Dearum vero nulla. Hinc numus Aureoli, in quo Proui-dentia

(*) v. Moreau de Mautour *Dissertat. sur la Peur & la Paleur divinitez representées sur des Medailles Romaines*, dans l'*Hist. de l'Acad. des Inscript.* T. V. p. 11.

dentia hoc habitu apparet; forte non antiquus est. [Errare Vitum Cl. facillime ostendi potest. nam decussatim positis pedibus stat et columnae innititur PROVIDENTIA in numis Gordiani, Afr. filii (*): atque eandem speciem praebet in numis Iuliae Mammaeae (**) et in numis Imp. Carini (***) FELICITAS PVBLICA. Porro decussatis pedibus stantes ex diis memini me videre Mercurium (****), et Genios (†) frequenter in monimentis sepulchralibus. Quod vero ad deas attinet, hoc statu recordor apparere Pomonam (††), Minervam Medicam (†††), Musas (††††). Vidi et alias. Sed nomina dearum nunc non succurrunt.] Imperatores in publicis monimentis fine vllo

(*) In Begeri Thes. Br. T. II. p. 721.
(**) Ibid. p. 715. (***) ibid. p. 772.
(****) in Montfauc. Antiqu. T. I. t. 71. et in Supplem. T. I. t. 37.
(†) Ibid. Suppl. T. V. t. 10. et p. add. T. V. t. 36.
(††) Ibid. T. I. tab. 184. n. 5.
(†††) Ibid. t. 81. n. 2.
(††††) Ib. t. 59. n. 1.

vllo fastu apparent, nec domini; sed primi ciuium esse videntur: non sibi supplicem quenquam habent, praeter reges captiuos. [At hic quoque recordor numos, qui aduersari videntur sententiae Auctoris. Est numus, in quo Vespasianus supplici reipublicae manum tendit, addito titulo: LIBERTAS RESTITVTA. In alio numo Hadriani cum inscriptione RESTITVTORI ORBIS TERRARVM Imperator manu prehendit supplicem foeminam globum tenentem manu et coronam muralem habentem in capite. Idem typus est in numo M. Aurelii cum verbis RESTITVTORI ITALIAE. Consideretur etiam alius numus Commodi, his verbis notatus: SAL. GEN. HVM. alius denique Valeriani, cum verbis: RESTITVTOR. ORBIS. His in numis non reges captiui, non prouinciae victae flexis genibus apparent, sed tota Italia, immo totus terrarum orbis.] In comparatione inter antiquos et recentiores artifices de actione signorum instituta hi illis cedunt, simplicitate prisca neglecta. Haec corruptela inde a Michaele Angelo vsque ad Berninium sensim aucta est.

Compa-

Comparatio picturarum minus est recentioribus notia. Inprimis sec. XVI. initio Venus magis pictoribus adfuit, quam sequentibus, nostraque aetate iterum illa enitescit in statuaria. — Pars quarta complectitur descriptionem vestimentorum, quae signa antiqua praeferunt, cum virilium, tum muliebrium, cum reliquis ornamentis armisque. — In parte quinta ipsa statuarum fabrica explicatur. Hinc agit de exemplis imaginum ex argilla factis, de opere et vltima manu, [emendare hic debebat Vir Cl. errorem nuper commissum (*). Pindarum, inquit, scribere in *Nem. Od. VI.* v. 107. lapidem optimum ad poliendas statuas ex insula Naxo arcessi. Sed Pindarus in *Isthm. VI.* (nam non recte locum laudauit) nihil aliud dicit, quam Ναξίαν — χαλκοδάμαντ' ἀκόναν.] de insertis capitibus statuarum oculis ex alio lapide. Porro defendit veteres artifices, quos quidam in anaglyphis distantiam locorum, pro cuius ratione figura quaeque iustam magnitudinem adipisci debet, obseruasse negant, laudatis operibus, in quibus alia eminent, alia reductiora videntur ex regu-

 lis

(*) in *der Geschicht. der Kunst.* p. 254.

lis artis. — Denique eos refutat, qui de propria Romanis artificibus ratione loquuntur. — Licet enim fateatur fuisse Romanos pictores et sculptores, nec incredibile esse censeat, quosdam excelluisse atque cum Graecorum multis comparari potuisse, nec tamen, quae in manibus habeamus, sufficere dicit ad artis Romanae peculiarem et a Graeca diuersam rationem stabiliendam. Romani, inquit, artifices Graecorum imitatores, nec peculiarem scholam habuerunt, nec sibi propriam rationem secuti sunt. — Haec de parte prima. [ Addamus his sententiam nostram de locis quibusdam, quae inter legendum notauimus. — Quod iam alio loco Auctorem dicere meminimus (*) de aegide, idem p. 33. repetit. Putat enim aegida fuisse, non clypeum, sed pellem caprinam, atque gemma, in qua Iupiter conspicitur dextra fulmen gerens, sinistra inuoluta pelli, opinionem hanc firmari putat. Sed primum aduersatur illi locus Homeri luculentus (**):

ἀχι

(*) dans la *Description des pierres gravées du Baron Stosch* p. 395.

(**) Il. O. 308.

ἔχε δ' αἰγίδα θοῦριν

Δεινήν, ἀμφιδάσειαν, ἀριπρεπέ', ἣν ἄρα χαλκεὺς

Ἥφαιστος Διὶ δῶκε φορήμεναι.

Deinde Iupiter fulminans in quadrigis saepe occurrit in numis Romanis, vbi sinistrum brachium etiam inuolutum habet, sed pallio, quod in aliis brachio dependet, in aliis pectoris partem tegit, in aliis soli brachio incumbit. Quare in illa gemma eodem habitu, quo in numis, Iouem expressum esse puto. — P. 49. Gorgonas dicit in nullo monimento antiquo apparere, et, si appareant, formam illarum non fore terribilem: nam Medusae faciem summam pulchritudinem praeferre. At quomodo describit Homerus clypeum Agamemnonis (*)?

Τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο

Δεινὸν δερκομένη.

Poetae, dicet Vir Cl. licuit hanc formam ita pingere, artifici non licet. Noui, sed esine credibile, Homerum hanc imaginem sic delineare potuisse, nisi illius exemplum vidisset, nisi eo

B 3 tempore

(*) Il. Λ. 36.

tempore tali forma Medusa in clypeis apparuisset? Neque ego etiam mihi persuaderi patiar, pulchritudinem aliquam habere Medusae caput, lingua ore exserta conspicuum, quale in nummis Graecis apparet (*). nec pulchra aut parum formidolosa sunt capita Medusae, quae Perseus in duabus gemmis (**) manu tenet: quibus adde numum Antonini Pii (***). — Non bene argutias Scholiastae adprobare videtur Auctor, vbi verbum ἑλικοβλέφαρος (†) interpretatur. Eustathius rectius censet, idem hoc verbum indicare, quod ἑλίκωψ (††), id est notare siue nigris oculis, quem sensum habere videtur in plurimis locis Homeri, vbi de Graecis sermo est, siue volubilitate molli conspicuos, vt Petronius (†††) *mobilem oculorum petulantiam* dixit. — P. 97. Mentionem facit statuae antiquae Boni Euen-

p. 53.

(*) vid. Dorvilli *Sicula Tab.* XIV. n. 6. 7. *Thesaur. Palatin.* p. 242. et *Museum Etruscum Gorii* T. I. t. 31.
(**) v. Montfauc. *Antiqu.* T. I. t. 86.
(***) in Beger. *Thes. Brandenb. T. II.* p. 703.
(†) vid. *Hesiod. Theogon.* 16.
(††) vid. Heinsii *Lection. Hesiod.* c. 22.
(†††) cap. 126. vbi vid. interpr.

Euentus, a Schotto memoratae, cuius in dextra speculum, in sinistra sertum spiceum appareat. Sed credo Schottum errasse, nec quid speculum indicet, intelligo. Credo deceptum illum forte fuisse et confudisse speculum cum patera, quam Bonum Euentum manibus tenuisse non solum Plinius testatur (*), de Euphranore loquens: *simulacrum Romae exstat Boni Euentus, dextra pateram, sinistra spicam ac papauer tenens*, sed etiam ostendunt gemmae (**) et numi antiqui (***).]

Veniamus ad *alteram* harum animaduersionum partem. In hac fata et opera artium in Graecia secundum temporis ordinem recensentur, inde a Bathycle Magnesio antiquissimo artifice vsque ad Gallieni tempora. vbi id inprimis operam dat Auctor vt, refutatis erroribus aliorum, cui, quae nunc exstant, signa tempori tribuenda sint, doceat, atque, vt ille ait, p. 85-127.

 artificum

(*) in H. N. L. XXXIV. c. 19.

(**) v. *Museum Cortonense*, tab. 46.

(***) v. Moreau de Mautour. Diss. *sur le Dieu Bonus Eventus & sur les Medailles, qui concernent son nom dans les Memoir. de l'Academ. des Inscriptions T. IV*. p. 78. sequ.

*artificum veteres agnoscere ductus*
*Et non inscriptis auctorem reddere signis,*

p. 89. studeat. — Inprimis vero in aetate cuiusque artificis gloriae et famae assignanda putat Plinium respexisse ad bella composita, pacemque, artium nutricem, *Praef.* populis redditam. [Sed valde errat, p. 13. quod prouerbii sensum: Φειδίας πρεσβύτης εἰρήνη, neminem antea assecutum esse censet. Namque iam Erasmus (*) dixit: *arbitror eo referri, quod artes Palladiae bellum studiis et industriae inimicum fugiunt, pacem et almam* p. 86. *quietem adamant.*] — Antiquissimi numi Graeciae pertinent ad Crotonem, Sybarin, Thebas, Naxum. Proximi sunt numi Gelonis, sed ille, quem ipse Auctor possidet, cum titulo: ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ, et in auersa Victoriam prorae insistentem cum titulo: ΚΑΤΑ ΠΕΡΣΩΝ, exhibens, p. 87. spurius est. — Ad antiquissimas statuas referenda est Musa in aedibus Barberinianis, magnam lyram tenens omniaque signa antiquitatis priscae praeferens. Suspicatur Auctor, illam esse vnam trium Musarum, quas ante Phidiam a tribus artifici-

(*) in *Adagiis* p. 549. edit. Francof. 1670.

artificibus factas esse legimus. — Coniecturam proponit de statua Agoracriti, qui cum certasset de Venere facienda cum Alcamene, victus suffragiis ciuitatis, Venerem suam Rhamnusiis vendidit et Nemesin appellauit. Quomodo enim, quaerit, Nemesis Veneris personam induere potuerit? Venerem respondet ipse vestitam fuisse: Nemesin brachio curuato vestem ad pectus sustulisse, quasi deam cum punientem mala tum praemiis ornantem bona, metientem omnia et examinantem, cum bona tum mala, [haec non capio, nec, quomodo hoc indicari possit illo habitu, video] Venerem, eodem habitu propositam, sublata veste indicasse verecundiam. [Credo facilius nos hanc dubitationem soluere posse. Non credo valde dissimilem fuisse Nemesin Veneri. Nam antiquissimi putauerunt Nemesin fuisse Helenae matrem (*) atque a Ioue dilectam (**). Quidni igitur pulchra Venus Nemesin quoque digna Iouis p. 90.

 amore

(*) vid. *Pausan.* *I.* p. 82.

(**) v. Hygin. *in Astron. Poet.* (L) II. add. Beger. in *Thes. Brand.* T. I. p. 62. et Stoschium ad *Gemmas insculptas* p. 60.

amore forma praeditam, exhibere potuit? Non vindicem viderunt Rhamnusii deam scelerum, non vltricem facinorum impiorum et praemiatricem bonorum, sed venustam et adamatam a Ioue puellam. Adde plures quoque fuisse Nemeses (*). Vaillantius in nummo familiae Claudiae caput formosum, Venerisque ad pulchritudinem accedens Nemesi tribuit (**), sed quo argumento ductus sit, nescio. Ideo haec mittamus.] — Celebres luctatores, in Museo Florentino qui conspiciuntur, putat ad statuam Niobes, cuius auctorem censet Scopam, pertinere, filiosque Niobes esse. — [Multiplex error Viri Cl. deprehenditur, vbi de Myronis aetate agit, quem suspicatur antiquiorem esse, quam vulgo censetur. Primum dicit, non licuisse Phidiae nomen suum statuae Iouis Olympici addere. Vbi hoc legit? Pausanias, qui ipsum quoque elogium dat, longe alia memoriae prodidit (***) Φειδίαν δὲ τὸν ἐργασάμενον τὸ ἄγαλμα εἶναι καὶ ἐπίγραμμα ἐστιν

p. 60. (margin, beside "tuit? Non vindicem viderunt Rhamnu-")
p. 92. (margin, beside "mus.] — Celebres luctatores, in Mu-")
p. 93. (margin, beside "bes esse. — [Multiplex error Viri Cl.")

ἐς

(*) v. Pausan. L. VII. p. 533.

(**) v. *Numos Familiar.* T. I. p. 375.

(***) L. V. p. 397.

ἐς μαρτυρίαν ὑπὸ τοῦ Διὸς γεγραμμένον τοῖς ποσί·

Φειδίας Χαρμίδου υἱὸς Ἀθηναῖος μ' ἐποίησε.

Idem vero non licuisse Phidiae in signo Mineruae, quod fuit Athenis, testatur Cicero (*). *quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Mineruae, cum inscribere non liceret.* Porro errorem continent haec verba: Myronem longe ante Phidiam vixisse suspicari etiam possumus ex titulis, quae litteris antiquis additi sunt statuis Myronis Eleis, teste Pausania. Sed quid dicit Pausanias (**)? ταῦτά ἐστιν ἔργα μὲν Λυκίου τοῦ Μύρωνος. nescio an recte haec interpres: *Lycii Myronis filii*, reddiderit. Lycium fuisse Myronis discipulum clare testatur Plinius L. XXXIV, cap. VIII. s. 19. et clarius alio loco: *Eleuthereus* (id est Eleutheris oriundus) *Lycius Myronis discipulus fuit, qui fecit dignum praeceptore puerum sufflantem languidos ignes et Argonautas* (***). Eiusdem vero verba: *Lycus et ipse puerum suffitorem* (fecit), correctionem postu-

(*) in *Tusculan.* I. c. 15.
(**) L. V. p. 435.
(***) v. Harduinum in Not. et Emendat. ad h. l. num. XV. et num. VII.

postulare videntur, et legendum ibi esse puto: *Lycius.* Apud Pausaniam quoque (*) pro: Λύκιον τοῦ Μύρωνος χαλκοῦν παῖδα, ὃς τὸ περιῤῥαντήριον ἔχει, malo: Λυκίου. nam ille artifex hoc argumentum adamasse videtur. — De Phidia alio loco (**), quod attulit Vir Cl. Quintiliani iudicium, non legitur apud rhetorem, quem scripsisse dicit multos artifices melius Phidia, quae huius Ioui accesserint ornamenta, elaboraturos fuisse. Immo Quintilianus hoc numquam dixit. Illius verba haec sunt (***): *nemo sic in maioribus eminet, vt eum minora deficiant, nisi forte Iouem quidem Phidias optime fecit, illa autem, quae in ornamentum operis eius accedunt, alius melius elaborasset, aut orator loqui nesciet, aut leuiores morbos curare non poterit medicus praestantissimus.* Quis non videt, longe contrariam sententiam Fabio tribuisse Win-
p. 94 kelmannum?] Ex eo quod Plinius dicit Pythagoram capillos diligentius elaborasse, multarum statuarum aetas de-
p. 95 finiri potest. — Statua morientis gladiatoris

(*) in L. I. p. 55.

(**) in der *Geschichte der Kunst.* P. I. p. 236. (***) in *Instit.* II, 3, 6.

diatoris in Capitolio praeconem Nostro referre videtur, forte Anthemocritum, ab Megarensibus occisum, tum quia cornu additum habet et collum laqueo circumdatum, (vtrumque enim in *κύβρικα* cadere ex antiquis scriptoribus ostendit,) tum quia ludi gladiatorii Graecis incogniti fuerint, nec bona artium aetate, quam statua spiret, gladiatoribus statuae positae sint. [Non dicam, gladiatoriis ludis quosdam originem Graecam tribuere (*), nec monebo, laqueum istum gladiatorem laquearium (**) indicare posse. Addam tantum locum Plinii (***): *libertus eius* (Neronis) *cum daret Antii munus gladiatorium publicas porticus inuestiuit pictura, vt constat*, gladiatorum, *ministrorumque omnium veris imaginibus redditis. Pingi autem gladiatoria munera atque in publico exponi coepta a C. Terentio Lucano. Is auo suo a quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro per triduum dedit, tabulasque pictas in Nemore Dianae posuit.* Quae cum ita

(*) vid. Bulengerum de *venatione Circi* c. VI.

(**) v. Lipsii *Saturn. Sermon. II.* c. 13.

(***) in *H. N.* L. XXXIV. C. 33.

ita sint, estne incredibile, Romani alicuius iussu peritum artificem Graecum
p. 99. illam statuam fecisse?] Memorabilis ab Auctore numus publicatur et explicatur. Ab altera parte Panis, vt Auctor putat, caput apparet, forte ob memoriam victoriae naualis, quae Pani tributa fuit, vt eidem Athenienses tribuerunt victoriam Marathoniam [sed potuitne victoriam maritimam deus terrestris iuuare? neque Panis in vniuersum quaedam partes in bello sunt, nec illius opera cuilibet praelio tribui potest] in altera insidet prorae nauis, cui inscriptum: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ Apollo cum arcu tenso; retro Apollinem est tridens et infra Delphinus. [Credo numum cusum esse post victoriam naualem, quam Demetrius Poliorcetes, filius Antigoni, a Ptolemaeo reportauit. qua victoria elatus Antigonus, vt Iustinus scribit (*), regem se cum Demetrio filio appellari a populo iubet.] Expia-
p. 101. tionem Herculis, in anaglypho, cuius expositionem doctissimus Corsinus dedit, seriori aetati Vir Cl. tribuit. [Quod vero putat artifices hoc solum modo quietem indicasse, qui in hoc moni-

(*) in L. XV, c. 2.

monimento apparet, vbi Hercules diademate redimitus capiti manum imponit, aliae quoque imagines exstant. Nam in gemma (*) sustentat Hercules dextro brachio vultum et in nummo Maximiani (**) vtrumque brachium sinui imponit otiosus Hercules.] — Loquitur de Laocoontis statua, atque p. 101. inprimis de dextro, quod deest brachio, quod Michael Angelus ita refecit, vt supra caput Laocoontis appareret, serpentibus cinctum, Berninio aliam rationem secuto. [Vellem recordatus fuisset Vir Cl. gemmam a Marietto editam (***) in qua Laocoontis triste infortunium, licet paullo alia ratione, expressum est.] Pauimentum tessella- p. 103. tum, quod Sulla in templo Fortunae Praenestinae faciendum curauit, quoque multi putant iter Alexandri M. per Aegyptum ad oraculum Iouis Hammonis exhiberi, ita explicat Vir Cl. vt credat, adumbrari ea, quae Menelao et

Helenae

(*) v. *Collection of Gems taken from the Classics by* George Ogle tab. XL. add. *Receuil des pierres gravées* p. Mariette t. 84.

(**) in Begeri *Thes. Brandenb.* T. III. p. 170.

(***) v. *Recueil des pierres gravées* t. 95.

Helenae in Aegypto acciderint, vbi illam a Theoclymene amatam esse constat. [Iterum consideranti mihi imaginem operis memorabilis (*), valde improbabilis videtur Auctoris sententia, et vnice placet Du-Bosii opinio (**); qui hac quasi tabula Aegyptum omniaque ea, quae ad regionis et incolarum indolem pertineant, exhiberi putat. Equidem ideo inprimis huic opinioni assentior, cum quia magnam rerum varietatem conspicio, quam vnius historiae caussa explicitam fuisse non probabile est; tum quia animalibus nomina adscripta esse video. quas expositiones quis credat additas fuisse, si Helenae historia adumbraretur? Ista humi sedente muliercula Helenam indicari, vehementer miror, quomodo Vir ingeniosus dicere potuerit.] Nempe haec antiqui monimenti interpretatio inde orta est, quia Vir Cl. veteres artifices, solis fabulis intentos, nunquam, certe rarissime, veras historias aut penicillo aut caelo exprimendas sumsisse arbitratur, et

(*) v. Montfauc. *Antiqu. Suppl.* T. IV. t. 56. sequ.

(**) v. *Reflexions sur la poesie & peinture* P. I. c. 38.

et eosdem vix quidquam, quod non con-
tineatur cyclo Mythico, qui Vlyssis re-
ditu absoluitur, adumbrasse, dicit. Hanc p. 107.
certe opinionem vbique Vir Cl. inculcat conf.
atque in praefatione inprimis hanc sen- p. 114.
tentiam, tanquam certissimam, veterum
monimentorum interpreti commendat:
imagines rerum, quae post Troianum p. 7.
bellum aut Vlyssis reditum acciderint,
vix ac ne vix quidem in gemmis et ana-
glyphis conspici: inde etiam dubitan-
dum esse de antiquitate *omnium* gemma-
rum, in quibus Romanae historiae pars
aliqua exhibeatur: in omnibus operibus, p. 8.
inprimis anaglyphis, aut Deorum aut
heroum mythologiam quaerendam esse.
Inde etiam gemmas, in quibus Curtius
[non *Quintus*, vt Auctor falso dicit, sed
*Marcus*] pro reip. salute se in voraginem
immittens cum equo apparet, recentiori-
bus artificibus tribuit. [Vehementer
vereor, vt Vir Cl. multis sit probaturus
hanc opinionem, quam multa moni-
menta, quorum antiquitatem dubiam
reddere nefas est, refutant. Quid enim
fiet gemmis, quarum vnam ipse Vir
Cl. laudat (*), quarumque duas prae-
claro

(*) in *der Geschichte der Kunst*. p. 217.

clarorum artificio elaboratas, Natterus edidit, Othryadis fortitudinem inuictam exhibentibus (*)? Quid fiet gemmis, quae continentiam Scipionis et Iugurtham exhibent (**), traditum Syllae, praesertim cum Syllam hoc argumentum annulo suo incidendum curasse legamus (***)? Quid aut illi, in qua historia Timocleae et Alexandri visitur (†), aut huic, caput Pompeii Caesari oblatum ostendenti (††), quam gemmam non sine deuota artis admiratione se contemplari Begerus dicit, aut etiam illi, quae Porsennam manum comburentem
p. 7. exhibet (†††)? Ipse etiam Vir Cl. in hoc libro gemmae mentionem iniicit, in qua Pittaci certamen cum Phrynone de Sigeo promontorio conspicitur. Facile

(*) v. *Traité de la Methode antique de graver en pierres fines* p. 19. et 21.

(**) v. *Receuil des pierres gravées par* Mariette t. 101. et 102. adde Montfauc. *Antiquit. Suppl.* T. IV. t. 24.

(***) v. Valer. Max. L. VIII.

(†) v. Montfauc. *Antiqu. Suppl.* T. IV. t. 23.

(††) in *Thes. Brand.* T. I. p. 22.

(†††) v. Montf. T. II. t. 94. n. 4.

cile possem plura exempla adferre. Sed ea in aliud tempus reseruabo, quo de hoc argumento copiosius agendi occasio dabitur. Nunc sufficiat, vno verbo ostendisse, non oraculorum vim habere sententias Winkelmannianas.] Eandem vero ob caussam Vir Cl. nec assentitur iis, qui statuam in Museo Capitolino Caio Mario tribuunt, nec qui alia in villa Pamphilia Publ. Clodium, tanquam muliebri veste indutum, indicari existimant. — Quinti Cincinnati Statuam Versaliae esse omnes adhuc crediderunt. Sed Vir Cl. putat ad Iasonem illam pertinere, qui arans ad sacrificium Neptuni a Pelia vocabatur, coniectura ducta a vomere, quod prope pedes iacet, et altero calceo nondum pedi addito, vno tantum pede calceato. nam tali habitu Iasonem fuisse ex fabulis constat. — Omnes gemmae, in quibus Cleopatra mammae serpentes admouet, nouae sunt. — Statuae Paeti et Arriae in villa Ludouisiana minus recte Romanae historiae vindicantur. Indicatur potius iis aliquid, quod heroicis temporibus accidit. — [Vellem ipse hanc statuam oculis vidissem. Descriptionem legenti in mentem venit hi-

p. 105.

p. 108.

p. 109.

p. 110.

p. 114.

 storia

storia Callirhoes et Coresi (*). Sed nobis, quibus nondum Capitolium ascendere licuit, vix hariolari dabitur.] Fal-
p. 116. so Persii caput (**) esse creditur caput marmoreum, quod olim Sadoletus possedit. Persius enim annos triginta natus obiit, atque ex illo ore senioris viri
p. 118 vultus eminet. — Quae vulgo Marii tropaea audiunt, ad Domitianum pertinere ex titulo Vir Cl. docet, qui olim
p. 119. iis adscriptus fuit. — Dementem vocat Maffei interpretationem gemmae, quia hic equitem hasta petentem hominem prostratum ad Traianum retulit. Tam vilis, addit, affectus nec in Traianum cadit, nec quisquam Romanorum tam abiecte de Traiano sensit. [Vtinam tam facile omnia, quae miseri mortales cupere solemus, efficere possem, quam in procliui est, Cl. Winkelmannum erroris conuincere et redarguere! Est nummus Traiani (†), qui laureatum Imperatoris caput in aduersa habet, cum verbis IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. AVG.

(*) vid. Pausan. L. VII. p. 575.

(**) v. Fulv. Vrsini *Imag.* n. 103.

(†) v. Patini Roman. *Imp. Numism.* p. 176. et Begeri *Thes. Brandenb.* T. II. p. 647.

AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. in auersa Imperator equitatus prosternit nudum, vt putant, Decebalum. Atque hic similisue typus occurrit in nummis Domitiani, Seueri, Getae, Veri, Maximiani, saepe. Itaque miror Virum antiquitatis peritum haerere posse, vnde etiam *magistelli Germaniae* (agnoscet facile Vir Cl. suam vocem) facile se expedient.] Transit Vir Cl. ad aliam statuam, quae Romae est, virilem, quaeque pelli leoni impositum portat puerum. Plurimi hac statua Commodum Imp. indicari putant, cum quia ille Herculis habitu in numis apparet, tum quod eum cum puerulo quodam lusisse notum est. At noster dicit, hunc infantem esse Aiacem, filium Telamonis; illum recens natum Herculem in brachia sustulisse et cum voto; vt maior olim fiat patre, pelli leoninae imposuisse. [Laudat pro testimonio Auctor Pindarum in Isthm. VI, 60. Sed ibi nil legitur aliud, quam Herculem leonis pelle tectum (ἐν ῥινῷ λέοντος στάντα) Telamoni, sobolis cupido, filium optasse dixisseque: sit ille inuulnerabilis ita, vt me nunc ferae exuuium circumdat: p. 124.

*Τὸν μὲν ἄῤῥηκτον φυὰν*
*ὥσπερ τό δε δέρμά με νῦν περιπλανᾶται*
*Θηρός.*

Memini Scholiaſten Sophoclis (*) paullo aliter rem narrare: at ſcio tamen, eum dicere: διὰ τὸν Ἡρακλέα τῇ λεοντῇ αὐτὸν σκεπάσαντα. De impoſito puero brachiis deque voto nihil vnquam legi nec puto ab antiquis auctoribus quidquam memoriae proditum eſſe. An forte memoria decepit Virum Cl. de Hectore cogitantem (**)?] —
p. 126. Progreditur denique Auctor ad recentiora tempora, falſamque et tenuem opinionem, quam plerique habent de artificibus ſec. III. ortam eſſe dicit ex exigua, quam arcus Septimii Seueri praeferat, arte. Sed aliis ſignis conſideratis, addit, fateamur neceſſe eſt, ad illum arcum niſi viliſſimum, certe non optimum, artificem, vt fit interdum, adhibitum fuiſſe. Pupieni ſtatua prope optimas Imperatorum ſtatuas locum ſuum tuetur. Gallieni etiam aetas non contemnenda opera extulit. Exſtat certe anaglyphum, in quo venatio Imperatoris exhibetur, ſua laude non defraudandum.

(*) ad Aiac. v. 844. (**) in *Il.* Z, 475.

# II.

C. Plinii Secundi Historiae Naturalis libri XXXVII. accedit Chrestomathia indicibus aliquot copiosissimis exposita, curante *Ioanne Petro Millero.* Volumina quinque.

Berolini, 1766. sumtibus A. Haude et I. C. Speneri. 8.

Complures veterum auctorum editiones inde ab aliquo tempore Cl. *Millerus* adornauit, quas non omnino hominibus displicuisse inde colligimus, quia eadem ratione nunc Plinium editum accepimus, de quo licet non dici posse videatur;

— *hic et mare transit*
*Et longum noto scriptori prorogat aeuum*,

forte tamen idem praedicari debet, quod de aliis Millerianis editionibus:

*Hic meret aera liber Sosiis!*

Allicit fortasse emtorum studia non inuenusta voluminum species, probabilisque litterarum elegantia, qua vnice delectantur quumque solam spectant ii, qui parietum exornandorum caussa libros

 emunt.

emunt. Quotus enim quisque est, qui, quid ab editore et interprete veterum scriptorum exspectandum sit, nouerit, quique quam et vtilitatem praestare, et diligentiae doctrinaeque magnitudinem praeferre debeant Graecorum et Latinorum auctorum editiones intelligat? Age vero libere, vt mos noster est, de hac Plinii editione sententiam dicamus, quantumque iis ex nostra opinione pretii statuendum sit, exponamus. Ipsum quidem Millerum, virum bonum et humanum, multarum rerum scientia instructum esse atque inprimis recta iuventutis institutione bene de republ. mereri fateor. Sed in interpretatione veterum auctorum quod mihi eundem parum satisfecisse dico, hoc inde fieri profiteor, quia longe grauiores et ampliores partes interpretem sustinere mihi persuasi, quam vulgo homines existimant.

Quod ad ipsa Plinii verba attinet, ea patet ad exemplum editionis Harduinianae descripta esse. Quam enim in emendando Plinio posuit operam Harduinus, summa laude dignam esse censet Vir Cl. *Tanta*, inquit, *industria et acumine* Harduinus in hoc negotio

versatus

versatus est, *vt, quum saepenumero in salebris haerentes multas easdemque optimas editiones inter se contenderemus, ad extremum semper fere, quod ad lectionem spectat, in iudicio ipsius, praestantissimis codicibus innixo adquiesceremus.* Inde etiam ex editione Harduiniana *Indicem Emendationum* in suam transtulisse videmus Cl. Millerum. (T. III. a p. 291-432.) Quo quidem indice licet aliquantum lectoribus commodis prospexerit, ipsam tamen viri Cl. rationem minime nobis probari fatemur. Neque enim Harduini, viri, quod nemo negat, docti et ingeniosi, sed sensu suo non raro abundantis, ingenium audax et temerarium satis nosse videtur Vir Cl. nec quanta in reddendis ipsius auctoris verbis cura et religio adhibenda sit editori, intelligere. Nonne enim summo iure de hac re idem dici potest, quod de paullo alia, licet non Latine satis, dixit Vir Cl. *Tanti refert, nihil adoptare in principio, quod characterem veritatis vsque quaque certum et euidentissimum haud prae se tulerit.* Quid si enim pluribus exemplis ostendi potest, non Plinii verba edita esse ab Harduino adeoque

ipſo Millero talia, qualia ab ipſo litteris commendata eſſe codicum auctoritate conſtat, ſed illorum locum occupaſſe coniecturas Harduini, nec eas vbique probabiles aut idoneis argumentis firmatas, ſed aperte falſas? Dabimus certe, ſpeciminis cauſa, aliquot exempla. In L. VII, ſ. 2. p. 206. Vir Cl. ſecutus Harduinum edidit: *quem locum Geſcliton appellant*, cum tamen clarum ſit, legendum eſſe *Geſclithron*, (γῆς κλεῖθρον). Immo, quod magis miror, in indice Geographico ne verbum quidem de varietate lectionis aut origine verbi dicit. — In L. XXIII, ſ. 22. p. 251. contra codicum fidem retinuit: *quae ſunt admodum exalbida, haec vetuſtate inſalubria ſunt*. Sed eſt certiſſime legendum: *ſalubria*, atque hanc lectionem ipſe Plinius paullo poſt firmat. — Eodem in libro ſ. 24. edidit Harduinus: *Non expedire vomitionibus*, pro *vomitoribus*, nullo codice poſtulante. Millerus hic quoque nimis ſecure Harduinum ſecutus eſt. — Vbi in L. XXVIII, ſ. 7, p. 67. edidit, *vt ſit exorata a tergo Fortuna gloriae carnifex*, non dedit lectionem codicum, ſed, qui hoc loco praeclare Gronouii

ſcrinia

ſcrinia compilauit, Harduini emendationem, duriorem profecto et contra quam multa dici poſſunt. — Quod etiam in L. XXXIII, ſ. 31. p. 181. edidit; *nuper inuenta aeris vena, infra alumen — alba, finem ſpei fecit*, omiſſo verbo *nullum*, quod antiquae editiones exhibent, Harduino iubente factum eſt. — Nolumus plura exempla proferre. Habet enim haec res iucunditatis parum, multum moleſtiae. Apparet profecto hinc, parum ſe praeſtitiſſe Criticum in edendo auctore, qui quouis alio magis Criticum iudicium poſtulat, Cl. Millerum, licet, quod ſequeretur, haberet exemplum laudabile Io. Matthiae Geſneri, qui in *Chreſtomathia Pliniana* ſaepe veriſſimum de Harduini opinionibus et coniecturis iudicium tulit. cuius quidem libri nullam mentionem feciſſe vnquam Virum Cl. eo vehementius miramur, quo certius conſtat, non eum pueris ſcriptum eſſe, ſed viros quoque doctos alendi acuendique ingenii materiam ibi inuenire. Ignotum enim librum fuiſſe editori Plinii nefas eſt dicere.

Sed mittamus ea, quae Critico agenda ſunt, licet editori prima et praeci-

pua

pua cura in constituendis recte scriptoris verbis collocanda sit. noluit enim Millerus Criticum agere. aliam rationem sibi placere ipse professus est. Audiamus enim ipsius verba, licet adfectationem quandam redolentia non bellissimam: *optaui*, inquit, *saepius, vt editio simul exstaret, quae haud magna quidem amplae et retrusae eruditionis ostentatione speciosa et bibliothecis prope solis dedicata, sed ad omnium aptata vsus foret, et cumprimis quoque studiosae iuuentuti commendari posset.* — *Igitur, quod fata mea, quod et tua, lector, commoda iubere videbantur, rem haud fere vsquam inoffenso pede superandam alacer aggressus sum — cuncta, quibus mihi opus esset, adparaui, multa, quae nunc apud ipsos Plinii interpretes, nunc apud alios scriptores veteres, recentiores, congruentia extarent instituto meo, sedulus collegi, omnia haec mea esse deputaui, et in vsus digessi tuos.* Efficere vero et assequi haec studuit *Chrestomathia*, vt ipse appellauit, *Pliniana*, id est, qui commentarii loco esse deberet, quadruplici indice. in quo concinnando Viro Cl. indices Harduinianos profuisse nec ipse negat,

negat, et res luculenter docet. quanquam, id quod verum esse aliquot documentis deprehendimus, non omnino falso de se praedicat Vir Cl. *Vere ergo confirmare possum, in tot exquirendis et examinandis locis quot vel numerare tantum sine magno temporis dispendio vix quisquam possit, magnum seu ingentem potius laborem constitisse.* *Primo* indice, qui *Bibliotheca Pliniana* inscriptus est, complexus est nomina eorum scriptorum, quibus in immenso opere componendo vsus est Plinius, vbi poterat non raro breuior Vir Cl. esse, quam illum fuisse vidimus. Estne enim credibile, quenquam Plinii lectorum ignoraturum esse, quis fuerit *Cicero*, *Horatius*, *Homerus*, vt taceamus alios, quorum nomina tantum addere suffecisset, laudatis locis, vbi eorum mentio iniecta fuit? Index *secundus* est *Geographicus*, verbosus ille, quemque non sine molestia ab auctore confectum fuisse largior. sed multa quoque ille complectitur, quibus Plinii lector facile carebit. *Tertio* indice traduntur et explicantur nomina, vt dicunt, propria deorum, virorum, et foeminarum celebrium. Neque vero hic opus fuit, vt

*Catili-*

*Catilinae*, *Catonis Vticensis*, *Caesaris*, *Horatii Coclitis*, multorum, aliorum res gestae et facinora verbosius exponerentur. Qui enim haec omnia nondum cognita habeat, ab eo nec legatur Plinii opus, nec legi debet. *Quartus* index rerum ac sententiarum, inprimis ad historiam, quam Plinius exponit, naturalem spectantium, longior et copiosior est reliquis. Horum igitur indicum rationem licet accurate examinauerimus, minime tamen eorum votis et exspectationi satisfecisse Vir Cl. videtur, quorum caussa profitetur se hanc editionem adornasse. Quot enim difficilia loca in Plinio occurrunt, quorum sensum aegre assequitur iuuentus, immo bona virorum doctorum pars! Eiusmodi igitur in locis quoties lectores haereant, quid iis agendum erit? Millerianos indices frustra consulent ideoque Harduinianum fontem accedendi necessitatem sibi impositam esse animaduertent. At non debebat tantum sed volebat etiam Vir Cl. eiusmodi editionem Plinii dare, qua Harduini ope destitutis et mediocriter doctis sine multo labore omnia plana redderentur, clara et perspicua.

Hanc

Hanc vero commoditatem quia nondum eos nactos esse existimamus, paucis addemus sententiam nostram de ratione, quam Plinii editorem sequi cupimus. Quam maxime enim optamus, vt talem huius scriptoris editionem accipiamus, qualis iuuentuti aliisque, quorum interest Plinium legere, quibusque ad interiora litterarum penetrandi nec otium est nec facultas, prosit. Namque is scriptor est Plinius, quem ob summam rerum varietatem incredibilemque eruditionem omnes legere et cognoscere oportet, (cum alios animi tantum caussa legere liceat) qui non solum rerum naturam scrutantur, sed opiniones quoque veterum de quamplurimis rebus historiamque, cum eam, quae regnorum fata, tum quae artium, et earum, quae pulchritudine operum exquisita censentur, et reliquarum, in quibus manus opificum spectantur, florem et decrementa complectitur, tenere atque ad vsum vitae, quae legerint, transferre cupiunt. His igitur qui vtilem praestantissimi operis editionem tradere velit, primum operam dabit, vt verba scriptoris, quantum eius fieri possit, emendatissima exhibeat, non Criticorum coniecturis corruptus,

ruptus, sed bonorum librorum auctoritate vsus, atque in libello ad calcem operis reiecto rationes lectionum cum receptarum tum recipiendarum reddat, breuiterque, quid de veritate aut verisimilitudine cuiusque iudicandum sit, moneat. Ipsis vero Plinii verbis eas subiiciet obseruationes, in quibus non eruditionis speciem captet, non multorum librorum lectionem iactet; sed solam spectet lectorum vtilitatem, et popularem interpretationem cuiuis reconditae doctrinae praeferat. Inde primum explicabit difficiliora scriptoris loca breuiter et sine ostentatione: tum paucis exponet, quae aut ex historia, aut ex aliorum scriptorum libris illustranda sunt: vbi alios veteres scriptores a Plinio dissentire animaduerterit, tem et loca notabit: denique, id quod caput est, sententias Plinii ex libris recentiorum, qui aut naturam rerum explicare annisi sunt, aut magnis itineribus factis multorum hominum mores viderunt et vrbes, ibique multarum rerum scientiam compararunt, aut confirmabit, vbi opus est, aut refutabit. Atque hoc quidem adnotationum genus inprimis Plinii interpreti commendamus,

mus, illudque cum ad historiam ingenii humani pertinere, tum summam vtilitatem iis, qui eo recte vti sciant, afferre putamus. His vero nostris consiliis qui morem gesserit, aut me omnia fallunt, aut eiusmodi Plinii editionem dabit, quae longe omnibus acceptissima et vtilissima sit. Ego certe primus omnium plaudam gratiasque agam viro docto, qui hoc opere perfecto praeclarissime de omni re litteraria mereri studuerit.

## III.

Histoire raisonnée des Discours de M. T. Ciceron, avec de notes Critiques, Historiques &c.

Parisiis, 1765. pagg. 252. 8.

Iuuenilem Auctoris aetatem redolere videtur hic liber, nec inutilis plane idem iuuentuti. Specimen, ni fallor, aliquod Auctor edere voluit ingenioli et qualiscunque doctrinae, non, quod nominis gloriam seruaret, Phidiacum opus in arce ponere. Quam in opinionem adducti sumus, cum libro euoluto oculi statim inciderent in magnificum Aucto-

Auctoris iudicium de oratione Ciceronis pro Archia (*). Nam hanc orationem, in qua, argumentis aduersarii admodum leuiter tenuiterque refutatis arreptoque, ne deesset loquendi materies, loco, vt rhetores dicunt, communi de laudibus litterarum, parum summi oratoris partibus satisfecit Cicero; quaque si non luculentiora edidisset eloquentiae documenta, non eum teneret inter oratores locum, quem vna omnium et consentiens vox illi tribuit, eam igitur orationem pro Archia tanquam praeclarum omnibusque numeris perfectum eloquentiae exemplum laudat et commendat. Nempe pueris nobis plerique magistri hanc orationem legendam dederunt, eaque illi aetatulae ob formulas vulgares atque, si placet, elegantes dicendi facilior intellectu est, magisque ideo placet reliquis, in quibus multa occurrunt, ex historia Iurisprudentiae Romanae explicanda. Sed etiam ipse liber clare auctoris aetatem ostendit nondum maioribus aptam nec maturam,

(*) p. 79. *Le discours, qu'il prononca a été regardé par tous les litterateurs comme un chef-d'œuvre d'eloquence & de delicatesse.*

ram. Egit ille quidem nihil aliud, quam vt exponerèt argumenta orationum Ciceronis ita, vt, quibus occasionibus, quo tempore, quoue successu habita fuerit quaeque, doceat, caussamque breuiter exponat, adspergatque interdum nonnulla, quae ad historiam hominum, quos aut defendit aut accusauit Cicero, pertineant. Nec solum earum, quae restant, orationum historiam enarrauit, sed earum quoque, quarum fragmenta tantum restant aut quae plane interciderunt, notitiam praebuit. Qua quidem in historia concinnanda quis credat multas Auctori difficultates superandas, multas molestias perferendas fuisse? Omnibus editionibus eiusmodi argumentorum enarrationes additae sunt, atque etiam Auctor tam gnaviter vsus est praeclaro de Ciceronis vita Middletonii opere, id quod etiam ipse fatetur, vt totus hic liber fere excerptus ex illo videatur. In huius igitur laboris tenuitate non decebat profecto, non licebat, virum longe eruditissimum, Facciolatum, ea verborum proteruitate atque petulantia petere, quae nec maioris ingenii eruditionisque viro condonanda forent. Quanquam quis a

 perito

perito rerum arbitro tantam iudicii iniquitatem exſpectet (*)? Eſtne enim graue peccatum, illa verba Ciceronis (**): *cui de tanto patrimonio praedo iſte nefarius ne iter quidem ad ſepulchrum patrium reliquiſſet*, ita explicare, vt dicas Ciceronem Latine, non accuſatorie, locutum eſſe? praeſertim cum haec verborum interpretatio bene defendi poſſit, ſi cogitemus, omnes agros, in quibus pater miſeri hominis ſepultus eſſet, ereptos eſſe eidem, aut eſtne in dicacitate Auctoris tanta venuſtas et elegantia, vt gloriari illa poſſit? Verumne ipſe etiam vbique vidit, nunquam lapſus eſt, nunquam errauit? Errandi quidem periculum ipſe raro adiit, dum ſecure, quae alii viri docti ſatis expli-

(*) p. 9. *Un de ces ſçavans en vs, qui, commentateurs ennuyeux, avec beaucoup de mérite pourtant, veulent trouver des ſens cachés par-tout, nommé Facciolatus, abondonne le ſens figuré & prétend prouver, que cette phraſe doit s'entendre au propre. On ne ſe permet de relever une pareille puerilité que pour donner un exemple des inutilités ſçavantes, dont fourmillent la plus part des commentaires &c.*

(**) pro *Roſc. Amer.* c. 9.

explicuerunt, reperiit. Fratne vero irrisori Facciolati *lex Manilia* reddenda in Gallico sermone per, *la loi Manilia?* p. 43.
Vel ex Ernestii libello, qui index legum inscribitur, meliora et certiora discere potuisset. Sed nec desunt in hoc libello alia, quibus cognitis arrogantem et nasutum Auctorem Facciolati

*Discipulorum inter — plorare cathedras*

iure summo aliquis iubeat.

Nec enim ille *legum index*, quem p. 209-
Auctor libello suo addidit, compilatus, 239.
vt ipse fatetur, ex Oliueti, qui nostro omnibus horis sapit, opere, ea diligentia confectus est, nihil vt in illo reprehendendum sit. Equidem non parum miratus sum, quomodo homo tam imperitus iuris Romani ad Ciceronis orationes explicandas accedere ausus sit. Sed errores aliquot indicare, quam obiurgare istum malumus, licet, qui tam petulanter aliis insultet, non aegre ferre debeat acriorem reprehensionem.

Multiplex igitur Auctoris error est, vbi de lege Aelia agere voluit. Haec p. 210.
enim illius est expositio: *La loi Aelia défendit donc a chacun des augures en particulier, & à tout le college en général,*

*néral, de jamais observer le ciel, ni de prendre les auspices, quand on traiteroit quelque affaire devant le peuple assemblé.* Quot verba, tot fere etiam errores huic loco insunt. Primum Auctor totum sensum peruertit legis: ea enim tulerat Aelius, vt, quoties comitia essent, de coelo seruare *liceret*, vt obnunciare liceret obnunciationique cederetur, vt denique intercedere magistratus pares et tribuni possent. id quod luculenter e Cicerone (*) patet. Porro errat Auctor, quod putat, ad *omnia* comitia hanc legem spectare, cum tantum pertineat ad comitia legibus ferendis. Tum non de *omni* auspiciorum genere sermo est, sed de vno tantum. quod *de coelo seruare* appellabant, id est, fulmen et tonitru obseruare. Denique seruare de coelo esse magistratuum et, si magistratus iubeat, augurum, ideoque primum legis caput male concipi, vt augures de coelo seruarent recte ostendit Ernestius, qui meliora
p. 218. docere poterat Auctorem. — Non veriora profert Legem Caeciliam Didiam interpretatus. Nos certe existimauimus

(*) v. Cic. pro *Sext.* c. 15. *de prou. Cons.* c. 19.

mus semper, alterum illius caput de duabus rebus *non* vna lege coniungendis fuisse (*). Auctor vero somnio credo monitus (nam ex libris hanc sapientiam haurire non potuit) longe aliam contrariamque legi sententiam tribuit: *Le second regardoit un point de la pratique Romaine, qui n'est pas en usage dans nôtre jurisprudence: c'etoit de réunir deux affaires différentes, mais semblables pour le fonds & de les juger ensemble.* — Nec quid lege Cassia tabellaria sancitum fuerit, accuratius Auctor tradit, quam alii multi, nec intellexit, sensum legis fuisse, vt tabellae etiam *in iudiciis populi*, h. e. publicis, quae per selectos iudices agerentur, praeterquam in iudicio perduellionis, adhiberentur. Falso igitur Auctor de comitiis totius populi loquitur. *Il propose donc une loi, par laquelle on arreta, qu'on distribueroit à chaque citoyen, avant le jugement des affaires, des tablettes sur les quelles chacun écriroit son avis.* — Clodium legem tulisse credimus, ne quis eo die seruaret de coelo, quo cum populo agi possset. p. 220.



(*) v. Cicer. *pro Dom.* c. 20. et Cuiacium in *Obseru.* XIV, 7.

p. 223. posset (*). Quid vero noster dicit? immo contrarium legi sensum affingit. *La seconde permettoit aux augures de prendre les auspices tous les jours même ceux ou le peuple étoit assemblé.* — Le-
p. 230. gis Domitiae sensum non accuratius Auctor explicuit, nec totum legis Fabiae ambitum animo comprehendit. —
p. 238. Quis credat plenam illum dare legis Variae notitiam, qui ita scripsit: — *décernoit des peines assez rigoureuses contre ceux, qui étoient coupables du crime de lese-majesté à l'egard du peuple Romain: crime d'autant moins pardonné, qu'il blessoit singuliérement l'orgueil républicain.* Notum vero est, bello sociali in Italia orto, hanc legem latam esse aduersus eos, quorum opera consilioue socii arma sumsissent contra populum Romanum.

Quid vero de hac auctoris imperitia indicemus, cuius plura ex ieiuno isto indice legum (nam maiorem legum partem silentio omnino praeteriit) documenta adferre potuissem, nisi molestum esset, errores hominis corrigere? Incipiuntne forte Galli illam mentiendi (exor-

(*) vid. Cic. in Pison. c. 4. ibique Asconium.

(exornandi ipsi dicunt et poliendi omnia facultatem, nos Germani rusticiore verbo rem appellamus) libidinem atque licentiam, qua omnem antiquorum temporum historiam adhuc deformauerunt, etiam ad historiam Iuris Romani transferre?

*Sic est: acerba fata Romanos agunt*
*Scelusque fraternae necis,*
*Vt immerentis fluxit in terram Remi*
*Sacer nepotibus cruor.*

---

## IV.

Histoire du Commerce & de la Navigation des Egyptiens, sous le Regne des Ptolemées: Ouvrage qui a remporté le Prix de l'Academie Royale des Inscriptions & belles lettres. par M. *Ameilhon.* Censeur Royal & Sous-Bibliothécaire de la Ville.

Parisiis, apud Saillant. 1766. pagg. 332. 8.

Suaue est concertantium de palma virorum doctorum, *Frid. Samuel. Schmidtii* (*) et *Ameilhonii*, conatus

 inter

(*) vid. Vol. III. p. 254.

inter se conferre; et quia quisque via ad propositum a Parisina Academia praemium contenderit, considerare. Sunt enim in vtroque multae litterae: magna est antiquitatis scientia, et inprimis summum rerum Aegyptiacarum studium. Cuius eruditionis copias ab vtroque in praeclaris libris explicitas considerantibus nobis venit aliquoties in mentem, quod ille Virgilianus Palaemon auditis pastorum iucundis versibus dixit:

*Non nostrum inter vos tantas componere*
*lites;*
*Et vitula tu dignus, et hic.*

Quod si tamen mihi, tanquam honorario arbitro, ex eo, quod aequum et bonum videatur, hanc controuersiam iudicare sententiamque de vtroque libello dicere liceat, a Schmidtio diligentius maiorique numero veterum auctorum loca excitata et laudata esse video, quam ab Ameilhonio, qui paucis contentus, sed iis recte vsus, philosophum agit, et praeclare de multis disputat, quorum ille simplicem tantum narrationem exhibet: Germanus accuratius recensuit merces cum natas in Aegypto tum ab aliis regionibus eo perlatas, Gal-

lus

ius rei nauticae itinerumque per mare factorum pleniorem descriptionem dedit: hic, quibus quasi gradibus quoque tempore apparatus naualis et mercatura ad summam magnitudinem peruenerit, eundo per singula, exponit, ille vna quasi tabula, quae eam rem iuuerint, omnia complectitur: Schmidtius magis illud operam dedit, vt accurate omnia explicaret, Ameilhonius etiam elegantiam orationis et facundiam adiecit. Interim vterque magna laude dignus est, nec qui argumentum plenius cognoscere velit, alterutro facile carere poterit. Schmidtii libellum alio tempore indicauimus, hodie dicemus de Ameilhoniano.

Initio aliquot obseruationes occurrunt de nauigationibus veterum, quas amplissimas fuisse Vir Cl. dicit, licet veteres non ea, quae nos, adiumenta habuerint. Nam, si solam Americam excipias, forte incognitam illis, nullum putat esse mare, quod non nauibus ingressi sint, paucasque superesse regiones, quas non adierint, cum mercaturae causa, tum vt curiositati satisfacerent, immo a Vasquezio de Gama post multa secula factum cursum diu ante frequen- p. 1-8.

tatum

tatum fuisse istis Phoenicibus, qui sub Necaone, Aegyptiorum rege, bonae spei promontorium praeteruecti sunt; atque etiam a pluribus aliis, vt alia taceamus, quae Auctor commemorat.
p. 9. Tum propius ad rem accedit, et Aegyptios ad primos summosque antiquae aetatis nautas referendos nec ipsis Phoenicibus postponendos esse, arbitratur; atque hanc sententiam ita explicat, vt primum exponat, quo fuerit statu Aegyptiorum mercatura et res nautica ante
p. 12. Ptolemaeos. Exundationes Nili annuae coegerunt Aegyptios, vt aliquod nauigationis genus exercerent: inde timore omni amisso audaciaque mox maiore addita ipsum mare sensim ingressi sunt; hinc origo nauigationum, in Aegypto
p. 14. quaerenda. Porro et tenuerunt antiquissimis iam temporibus et perfecerunt Aegyptii omnes eruditionis partes, quae et ad longa itinera facienda necessariae sunt, nec nisi his factis comparantur, excelluerunatque Mathematicis, Astronomicis et Geographicis (*). [Equidem

(*) p. 15. *C'étoit à leur Ecole que s'enseignoient les systemes les plus raisonnables & les mieux fondés sur le cours des Astres & des Planétes.*

dem fateor, me non praeclare de ingenio et eruditione Aegyptiorum sentire, quam immeritis laudibus a multis celebrari iudico. Nam ne alia attingam et in Mathematicis tantum subsistam, quis nescit Pythagoram et Thaletem in Aegypto versatos fuisse, eosdemque tamen simplicissima Geometriae praecepta non ab iis accepisse, sed suo ingenio inuenisse? Quae si Aegyptiis ignota fuerunt, quomodo altiora iis cognita fuisse credamus? In Astronomicis ne cum fastorum quidem quotidianorum compilatoribus comparare eos audet Voltarius (*). Sed de his *alio loco* et tempore copiosius agemus.]
Aliis quoque argumentis veritatem sen-
tentiae Vir Cl. firmare nititur. Longe p. 17.
ante Graecos Aegyptii nauibus vteban-
tur: Sesostris primus bellicarum na- p. 18.
vium classem mari intulit, multaque
alia mercaturae caussa fecit: idem p. 23.
Psammetichus fecit tentauitque feliciter
in mari mediterraneo: patrem imita- p. 26.
tus est filius Necao: quorum exemplum p. 34.
alii secuti sunt, allectis etiam et inuita-
tis Graecis in Aegyptum. Victores p. 43.
quoque Aegyptiorum, Persarum reges,
inpri-

(*) *Sur la Tolerance* cap. IX.

inprimis Darius multum iuuerunt rem
horum nauticam: nec desunt exem-
pla, quibus Aegyptii peritiam rei nau-
ticae militaris aliquoties ostenderunt.
p. 48. Quod vero Alexander M. morte impe-
ditus ad mercaturam augendam et rem
nauticam amplificandam efficere non
poterat, sub Ptolemaeis factum est, quo-
rum cura et sumtu vtraque ad sum-
mam magnitudinem euecta fuit. Quod
p. 53. vt clarius pateat, Auctor diligenter
commemorat, quid quisque Ptolemaeo-
rum ad hanc rem perficiendam fecerit.
Inde ex cuiusque regis historia ea decer-
pit, quae huc pertinent, atque inprimis
de nouis regnis imperio adiectis aut
cognitis agit, vbi haec mercaturae caussa
facta esse intelligit. Hinc videmus
p. 54. Ptolemaeum I. fundamenta futuri ope-
ris ponere, peregrinos Alexandriam in-
vitare, cum prouinciis maritimis socie-
tatem inire, amicitiam inprimis colere
cum Rhodiis, atque Pharum construe-
p. 56. re: Ptolemaeum II. Berenicen, vrbem,
p. 69. in confiniis Aethiopiae condere et fa-
ciliorem viam mercium a mari rubro vs-
que ad Coptum, commune emporium,
transportandarum reddere: suis viam
p. 97. in Africam aperire: Ptolemaeum III.
armis

armis plures terras occupare et hinc am-
pliores mercaturae fines reddere: atque
etiam reliquos Ptolemaeos, licet vo-
luptatibus illi essent et luxui dediti, iis
ipsis tamen vitiis mercaturam nutrire.
Accedit Carthaginis et Corinthi euersio, p. 103.
qua multum flos Alexandriae auctus fuit.
Quodsi etiam mercatura interdum af-
flicta aliquantum fuit, vt sub Ptole- p. 116.
maeo VII. cito tamen haec quasi nube-
cula transiit. Inprimis Auctor iter Eu- p. 121.
doxi Cyziceni in Indiam describit, cu-
ius veritatem contra Strabonem, eam in
dubium vocantem, defendit. Quibus p. 154.
omnibus narratis, originem immensa-
rum diuitiarum, quas Aegyptios reges
possedisse non sine admiratione legimus,
ab hac mercaturae amplitudine repeten-
dam esse docet, atque hinc reges ipsos
eam suo nomine exercuisse putat. Haec
omnia in *prima* parte libri explicantur.
in *altera* eadem diligentia narrat, quas
regiones nauibus adierint veteres Aegy-
ptii, viamque describit, per quam naues p. 160.
Aegyptiorum in Orientem et Indiam
venerint, tum maria occidentis perlu-
strat, commercia, quae ibi fecerint,
merces, quas Aegyptus peperit, inpri-
mis frumentum, legumina, linum, pa-

pyrum,

pyrum, vina, mel, lapides pretiosos, marmora, immo ipsam arenam, qua repletae naues Romam mittebantur, vbi athletae ea vtebantur, enumerat: nec opificia Aegyptiorum negligit, atque cum celeberrimos portus, tum emporia maxime illustria indicat. Vnde quidquam decerpere non licet, quia omnia ita cohaerent, vt aliqua particula toti narrationi subtrahi nequeat.

E multis pauca tantummodo indica-
p. 189. bimus. Ostendit Vir Cl. iisdem nauibus mare Indicum ingressos Aegyptios esse, quibus vsi sint in Nilo, et contra Salmasium hanc opinionem bene de-
p. 261. fendit. Docet etiam quae commoda commerciis attulerint plures deriuati ex Nilo fluuii et per Aegyptum opportune
p. 265. ducti. Denique copiose agit de arte Aegyptiorum, coloribus apte multa tingendi pingendique inprimis vestes.

Sub finem libelli summam facit Vir Cl. eorum, quae exposuit copiose, omnium, atque paucis rem nauticam Aegyptiorum complectitur. Quem locum huc transferemus, quoniam luculentissime totius rei amplitudinem inde
p. 274. cognoscere licet. „Ostendimus, in-

„ quit,

„quit, in hoc libro Aegypto principes „imperasse, quorum plures summum „erga mercaturam et rem nauticam stu„dium ostenderunt, nouarumque ter„rarum inuentioni maxime fuerunt in„tenti. Vidimus Aegyptios ab vna „parte vniuersum mare mediterraneum „percurrere, vsque ad fretum Gadi„tanum progredi, et paludem Maeoti„dem intrare: ab altera parte eos adire „sinum Arabicum et Persicum, versus „meridiem descendere, et littora orien„talia Africae legere, vsque ad insu„lam Madagascar: lustrare omne littus „oceani orientalis, venire ad Indi ostia: „Malabariam et Coromandeliam spe„culari: insulam Taprobanam frequen„tare: reuehi Gange et vsque ad Paly„bothram, Indorum caput, penetrare. „Quibus expositis quis negabit summos „et mercatores et nautas, qui vnquam „fuerint, fuisse Aegyptios? aut quis „non fateatur Aegyptios hac parte mi„nime cessisse Phoenicibus?"

Pauca addemus de doctis, quae in calce libri positae sunt, adnotationibus. Namque in his capita quaedam huius rei copiosius, aut illustrantur, aut con- p. 277-300.

 firmantur,

firmantur, aut alia quoque, quae in ipso libello non potuerant commodum locum obtinere, explicantur.

---

## V.

**Obſervations ſur l'hiſtoire de la Grece: ou des Cauſes de la proſpérité & des malheurs des Grecs, par M. l'Abbé *de Mably*.**

Geneuae, ſumt. ſocietatis, 1766. pagg. 314. 12.

Licet hic liber nil habeat, quod ex interioribus litteris repetitum ſit, aut multum et diuturnum laborem ſpiret, non tamen eius lectio voluptate caret. Eſt enim illius Auctor, quem ob rerum ciuilium peritiam non inviti diſputantem audiuimus cuiusque eloquentia aliquoties valde placuit, ex eorum Philoſophorum genere, qui hiſtoriam tanquam vitae magiſtram conſiderant, illiusque ſermones maxime populares et vtiles reddant, cum eliciendis ex iis, quae illa facta eſſe narrat, bonis ſententiis, quibus animus delectetur et erudiatur, tum explicandis iisdem

facunde

facunde et diserte. Dedit vero illud inprimis operam, vt caussas cum prosperitatis tum infortunii Graeciae indagaret: mores eorum pingeret et ingenia scrutaretur, quorum fuerunt tum quaedam partes cum in pace, tum in bello: cuncta ad prudentiae praecepta acute examinaret, atque haec omnia ad vsum vitae transferret. Philosophiam enim morum et politicam prudentiam inprimis putat e Graeca et Romana historia disci posse, nec solum inde apparere, quousque progredi possit virtus hominum et sapientia, bonis imperii legibus suffulta et adiuta, sed ipsa quoque vitia, quorum illa exempla offerat, perpetuum bonorum praeceptorum fontem esse.

Opusculum totum *quatuor* capita complectitur, quorum argumenta breuiter indicabimus. Nam quid opus est historiam ipsam repetere, satis eam omnibus notam? In *cap. I.* de moribus et imperii forma primorum Graecorum, de caussis, quae vno foedere totam Graeciam coniunxerint, de bello cum Xerxe, agitur. Transit Vir Cl. in *cap. II.* ad aemulationem inter Athenienses et Lacedaemonios: ad administrationem reip.

a Cimone et Pericle susceptam: ad bellum Peloponnesiacum: ad Spartae ruinam. In *cap. III.* caussas explicat, cur post Athenarum et Spartae casum non vno iterum foedere coniuncta fuerit Graecia, Macedoniae statum explicat, et de Philippo et Alexandro M. disputat. *Cap. IV.* spectat ad foedus Achaicum: cuius origine et legibus expositis, Auctor, quomodo factum sit, vt respublica Romanorum Graecorum turbis se immisceret, Graeciaque prouincia fieret Romana, docet. Hoc argumento breuiter exposito, indicabimus ea, vbi scientiam ostendit maximam philosophiae vitae Auctor, vt et eius ratio consideretur, et quid cum de sententiis illius, tum de vsu libelli, iudicandum sit, appareat.

Iam primum facile quisque intelligit, notanda fuisse Auctori, qui de caussis rerum gestarum exponere vellet, diligenter ingenia varia hominum, quorum iis temporibus auctoritas fuit summa, aut imperium, aut nomen. Hinc enim non solum consilia cuiusque perspiciuntur, sed luculenter etiam apparet, cur aliquid factum sit, aut cur res non alium exitum habuerit. Quare

etiam

etiam sollerter mores virorum Graeciae principum Auctor noster descripsit, eleganterque pictas illorum quasi imagines ante oculos nobis posuit. Est enim omnibus notum, non parum hac arte valere Gallos, qui si in moribus et animis hominum pingendis veritatis idem studium ostenderent, quod in elegantia aut nitore earum imaginum ostendunt, magna laude digni essent. Prae aliis ab Auctore describuntur mores ingeniaque Epaminondae et Pelopidae, (p. 151.) Philippi Macedonis (p. 289.) Agesilai (p. 150.) et Alcibiadis (p. 116.) (Sed utrique vereor ne iniuriam fecerit Vir Cl. Nam quod illum parum capacem fuisse dicit magnarum rerum, quaeque bene gessit in Asia, fortunae potius tribuit, quam prudentiae aut virtuti, refutatur haec opinio iis, quae ab Agesilao facta esse Cornelius et Xenophon narrant, quaeque non nisi a perito rei bellicae duce fieri possunt. Huc pertinent celeritas, qua Phrygiam depopulatus est, officinae armorum Ephesi institutae, ars, qua Tisaphernen decepit multaque disciplinae militaris specimina. Alcibiadem vero tantummodo vanum, solisque voluptatibus deditum

fuisse Auctori non credo. Nam si illius ingenium et mores considero, nil intelligo verius posse dici eo, quod Nepos dixit: nihil eo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus.] Omnino rectius Vir Cl. de Alexandro isto iudicat, quem vulgo Magnum appellant, (p. 216-29.) Examinatis enim illius facinoribus, nil obseruauit aliud, quam consilia hominis vani, omnia in admirationem sui abripere cupientis et ob ambitionem solam nunquam non bella gerentis. Bene ostendit, Alexandrum omnia perturbare, nil stabilire potuisse; prouincias occupasse armis, nec quomodo eas sub imperio teneret, cogitasse: expeditionem temerariam in Asiam suscipientem, securitati Macedoniae et tranquillitati minime prospexisse; nunquam meditatum esse, quomodo provinciae bello subactae quasi in vnum corpus coalescerent, aut quomodo post mortem ambitioni suorum ducum occurreret. Praeterimus multa alia, quae valde placuerunt, nec dicimus quidquam de comparatione inter Philippum et Alexandrum instituta eo consilio, vt appareat, quo hic modo bellum contra Darium gesserit, quoque ille gesfurus

ſurus fuiſſet. Breuem tantummodo particulam (*) comparationis infra ſcripſimus, vt ratio Auctoris inde perſpici poſſet.

Alterum obſeruationum genus pertinet ad artes, quibus quisque conſilia ſua ad exitum perducere ſtuduit, et rationem,



(*) p. 224. *Si on rapproche ſous un même point de vue les deux Princes, dont je parle, qu'on remarque entr' eux une étrange proportion. Dans Philippe je vois un homme ſupérieur à tous les événemens. La fortune ne peut lui oppoſer d'obſtacle, qu'il n'ait prévû, & qu'il ne ſurmonte par ſa ſageſſe, ſa patience, ſon courage ou ſon activité. Je découvre un génie vaſte, dont toutes les entrepriſes ſont liées & ſe prêtent d'une force mutuelle. Ce qu'il exécute, prépare toujours le ſuccès de l'entrepriſe qu'il va commencer. Dans l'Alexandre je ne vois qu'un guerrier extraordinaire, qui n'a qu'une maniere & dont le courage téméraire & impatient, qu'on me permette cette expreſſion, tranche partout le noeud Gordien, que Philippe eût denoué. L'excès de toutes ſes qualités ſurprend nôtre imagination & le fait paroître grand, parce qu'il fait ſentir à ceux qui le conſidérent, la foibleſſe de leur caractere: au lieu de ne donner que de la ſurpriſe à ce phénomene rare, nous lui donnons de l'admiration.*

tionem, quam principes viri inierunt in iis, quae spectarent, efficiendis. Quibus artibus Pericles Athenienses emolliuerit, consopiuerit sibique deuinxerit: (p. 90.), quo modo Lysander summum imperium potestatemque omnium rerum assequi studuerit, (p. 141.) quam callide Romani Graecorum vires attenuauerint, sua consilia occultauerint, iugumque sensim imposuerint Graeciae, (p. 295. sequ.) acute Vir Cl. docet. Nunquam vero felicius Auctori res processit, quam vbi Philippi Macedonis artes explicuit. (p. 171. sequ.) Videmus regem callidissimum militarem disciplinam emendare, Macedoniae nouum quasi animum inspirare, sensim et caute fundamenta ponere futuri operis, sua consilia reliquam Graeciam celare, allicere sibique deuincire potentissimarum vrbium ciues, modo hac, modo illa via Graecos decipere, ipsa religionis specie abuti, nihilque omittere, quo, quae semel animo conceperat, efficeret. Quae quidem omnia ita ab Auctore illustrantur, vt nos hanc libri partem legisse minime poeniteat.

Veniamus ad aliud prudentiae ciuilis genus, cuius multa specimina in hoc

libello

libello traduntur, id est, ad illas obseruationes, quibus causae continentur, cur res hunc, nec alium, exitum habuerint, iudiciaque de legibus Graeciae et institutis. Huc pertinent disputationes Auctoris de bello Peloponnesiaco, (p. 108.) quo ab vtraque parte multa temere et inconsiderate facta esse docet: de bello Graecorum cum Xerxe, (p. 53.) vbi, quantum periculum Graeciae imminuerit, Themistoclis et Pausaniae virtute depulsum, exponit: de Solonis institutis (p. 74.) quibus eum mala reipublicae non sustulisse, sed inueteratis potius imperii vitiis nouum robur addidisse et semina futurae discordiae sparsisse censet: de Demosthene (p. 188. sequ.) quem cum Polybio existimat, iniuria in eas vrbes inuectum esse, quae Atheniensium partes amplecti nollent. Immo dicit illum vehementia orationis magis eas abalienasse, non vtilissima Atheniensibus consilia dedisse, et Phocione longe inferiorem fuisse prudentia. Copiose inprimis leges Lycurgi laudat et explicat, (p. 19. sequ.) atque his Spartam magistram totius Graeciae et ducem euasisse dicit. Immo et Lycurgi leges humanarum sapientissimas alio

 loco

loco appellat, nec iucundius esse censet sapienti viro spectaculum Lacedaemone. [Mihi illae Spartanarum legum laudes, decantatae quoque nuper a Russauio, nunquam placuerunt, atque etiam ideo Auctori assentiri nequeo, licet longe absit a Comitis Passerani temeraria impietate. Primum enim, reipublicae formam mere militarem non probari animo meo, fateor: deinde totius Lacedaemoniorum reipublicae fundamenta pigritiam, paupertatem et seruitutem fuisse non solum intelligo, sed iura humanitatis acerbissima erga seruos dominorum violata esse duritie doleo; denique quam plurimas leges parum sapientiae, multum crudelitatis spirare arbitror. Huc pertinent leges de necandis imbecillibus liberis, aliaeque, quibus omnis amor inter coniuges, inter parentes et liberos non poterat non extingui. Ipsum Lycurgum nec sapientem, nec virum bonum fuisse censeo. Persuasi enim mihi, illum verissimum tyrannum et incredibili nominis et auctoritatis cupiditate flagrantem, stupore ciuium callide abusum, dum suae patriae prodesse videri cuperet, in totum humanum genus peccasse, atque, vt Spar-

tanis

tanis fortitudinem adderet, barbaros eos et feroces reddidisse: eorum sola et summa sapientia et virtus fuit: aut occidi aut occidere.] Sub finem libri p. 306. egregie vna quasi tabula Vir Cl. et laudes Graeciae et fata complectitur. Quae dum ille enarrat, paullo altius surgit elegantissimoque sermone animos lectorum inuitat, retinet, delectat, mouet.

---

# VI.

Hiſtoire de l'Académie Royale des Inſcriptions & Belles-Lettres avec les Memoires de litterature tirés des Regiſtres de cette Académie depuis l'année M. DCCLVIII. jusques & compris l'année M. DCCLX. *Tome Vingt-Neuvième.*

Mémoires de littérature, tirés des Regiſtres de l'Académie Royale des Inſcriptions & Belles-Lettres, depuis l'année M. DCCLVIII. jusques & compris l'année M. DCCLX. *Tome Trentième.*

à Paris, de l'Imprimerie Royale, 1764. 4.

Quid multi, cognita noſtrae, quam de commentariis Academiae Pariſinae feremus, ſententiae ſeueritate, dicturi ſint, facile praeuideo. Ergone Klotzius, inquient, ſibi ſuisque commodis ipſe officit? Omnem ille profecto ſpem abiicere debet ampliſſimi honoris, qui nomini Sodalis Academiae adiunctus eſt! — Doleo hercle! nunquam tempus fore, quo nomini meo in fronte libellorum meorum addere

dere possim: ACAD. REG. PARISIN. INSCRIPT. SOC. nam valde amo eiusmodi titulorum splendorem, vt decet virum bonum et in Academiis Germaniae sat diu versatum, vbi, praeter alia egregia, etiam veram honoris gloriaeque naturam didici. Sed

*quid faciam? mentiri nescio.*

Summum honoris et tituli incrementum contemnere et negligere, quam, quae sentio, reticere malo. His igitur in commentariis non paucas aio esse disputationes, plenas rebus vulgaribus: compilatas eas videri e Pitisci Pitiscique similium hominum libris, immo pueris easdem digniores esse, quam viris doctis et Academiae Parisinae sodalibus. Horum libellorum auctores quomodo, quaeso, societatem ambire potuerunt doctissimorum virorum, quorum opuscula non sine voluptate et vtilitate legimus? Princeps horum esse videtur Comes *Caylus*, in cuius libris artium cognitionem admirabilem, elegantissimum de operibus artificum iudicium, summae doctrinae copiam admiror. Socium huic addimus *Barthelemium*, virum multae lectionis laborisque multi, a quo et acce-

perunt

perunt litterae nostrae iucunda munuscula et plura exspectant. In *Deguigno* obseruamus ingenii aciem nullis facile difficultatibus hebetandam, sed intentam tamen eiusmodi rebus, quae nec omnibus arrident, aut prosunt, et magis speciem coniecturarum, quam vim argumentorum admittunt. Ob accuratissimum Chronologiae studium *Belleum*, *Danvillium* propter Geographiae scientiam praeclaram, et *Delanauzium* ob antiquitatis cognitionem non vulgarem laudamus. Reliquorum fere de ingeniis quam recte iudicauerimus, apparebit ex indice, quem dabimus, commentariorum.

Primum Volumen, cuius titulum modo descripsimus, duas partes com-
p. 1. plectitur. Priore continetur historia Academiae, cui intextae sunt quaestiones quaedam iis propositae, qui nuper auspiciis et sumtu diui Daniae regis iter in Arabiam fecerunt, non sat felici euentu. Maxima illarum pars ad historiam terrae, Yemen, pertinet, ad historiam regum, ad religionem, imperii formam, litteras, mores, et sermonem Arabum, qui ibi habitant.

Breuiter

Breuiter deinde narrantur, quae ad historiam Academiae spectant.

Sequuntur nunc disputationes in Academiae consessu a Sodalibus recitatae, atque redactae in compendium ab eo, qui Academiae ab epistolis est, cuius et sortem doluimus et patientiam, cum animi, tum corporis, mirati sumus aliquoties. p. 33.

I. *Burigny* de fabulosa populorum origine. De Chaldaeis, Aegyptiis, Graecis, Italis, Romanis, aliis pluribus agit, quasque populus quisque opiniones de origine sua habuerit et maioribus, recenset: vnde hanc sententiam elicit, non fieri posse, vt profanorum populorum originem accurate indagare et cognoscere queamus. p. 35. II. *Burigny* de Helena et bello Troiano. Diuersas de causis, progressu et exitu belli Troiani sententias et narrationes veterum scriptorum collegit, et dissensum Aegyptiorum a Graecis de Helena exposuit. p. 45.
III. *Le Beau* de Margite, carmine, quod Homero plerique veterum scriptorum tribuerunt. Verum carminis auctorem fuisse Homerum, Auctor existimat apparere ex tot scriptorum testimoniis, frustra Harpocratione, Haephestione, et Suida id negan- p. 49.

negantibus: carmen fuisse Satyram, versibus inaequalibus scriptam, prope accessisse ad Comoediam illique dedisse exemplum: summum hominis stuporem Homerum irridere voluisse, ea, quae hinc inde de Margite occurrant, docere.

p. 58. IV. *Burigny* de tragoedia Aeschyli, quae inscripta est, Persae. Ea inprimis ex hac tragoedia elicere studet, quae aliquam lucem foenerentur historiae: Persas regibus suis nomen deorum dedisse: magicas mortuorum euocationes sacrificiis oblatis Persis notas fuisse, etc.

p. 64. V. *de la Nauze* de quibusdam Herodoti narrationibus, a sacerdotibus Aegyptiacis acceptis. Illae spectant ad nimiam, quam regum imperio suorum tribuerunt Aegyptii, antiquitatem. Simul naeui, quibus chronologia Aegyptiorum laborat, commemorantur. VI.

p. 76. *Dupuy* de loco Herodoti (L. II. p. 92. edit. Steph.) vbi ex sacerdotum Aegyptiorum mente scribit: ἐν τοίνυν τούτῳ τῷ χρόνῳ τετράκις ἔλεγον ἐξ ἠθέων τὸν ἥλιον ἀνατεῖλαι, κ. λ. et cum aliorum tum Louvilii et Fracastoris sententiae examinantur. Ipsa vero Auctoris

p. 96. interpretatio haec est: *Hérodote nous apprend donc, que le Soleil à quatre diverses*

*diverses reprises très-réelles s'étoit levé de lieux accoutumés de l'horizon, ou sans aucun changement dans l'amplitude ordinaire.* VII. *Comes Caylus* de rui- p. 118.
nis Persepoleos. haec disputatio sex capitibus absoluitur: antiquam Persepolin esse eam vrbem, quae hodie Chelminar appellatur: Persepolin longo post Alexandrum M. tempore substitisse: sequitur descriptio reliquiarum vrbis, quales hodie visuntur: non esse eas reliquias antiqui regum Persiae palatii, ab Alexandro incensi, rudera: non verisimile esse, Persas ante Cyrum, Cyrum ipsum aut eius successores ea aedificasse, quorum reliquias hodie intuemur: nec Arsacidarum imperio tribui posse facile eorum constructionem.
VIII. *Caylus* de tabula Cebetis, et Phi- p. 149.
lostrati Imaginibus. Primo loco examinantur aliquot allegoricae imagines recentiorum artificum. Deinde ostendit Vir nuper ingeniosissimus Cebetem naturam et regulas picturae minime tenuisse, ideoque ignorantia artis saepe lapsum multa grauia et ridicula peccata commisisse. Adsperguntur non pauca de specu Corycio, singulari ingenio et supra, quam vt describi facile possit,

 eximio.

eximio. Quod ad Philostratum attinet, non putat illum picturae gnarum fuisse; ipsam illam commemoratam pinacothecam fuisse a Philostrato effictam: in pluribus illarum tabularum vnitatem argumenti neglectam esse, alias omnino

p. 160. pingi non potuisse. IX. *Idem* de principibus artium studiosis ita, vt ipsi menum admonuerint operibus, quorum vltimus est Constantinus Porphyrogeneta.

p. 166. X. *Idem* de arte, quam antiquis etiam cognitam fuisse quidam putant, marmori colores inferendi altius; cuius artis rationem ipse Comes ostendit.

p. 177. XI. *Burigny* de Philosopho Posidonio. Nempe Bruckeri libris forte bibliotheca Academiae destituta est, in quibus ipsa haec legat, quae Auctor inde excerpsit.

p. 186. XII. *Tercier* de Semproniae imagine, a Sallustio delineata. Defendit historicum contra Rapinum, qui non sat dignam fuisse Semproniam dicit, cuius mores pingerentur. Ostenditque partes huius foeminae sat magni momenti fuis-

p. 190. se in istis turbis. XIII. *Burigny* de vita et operibus Publii Nigidii Figuli. Etiam hic sui similis Burignius est.

p. 199. XIV. *Idem* de erroribus, quos profani auctores in narrationibus de Iudaeis commi-

commiserunt. Quae de origine et historia illorum falso dixerunt, colligit; quae a Graecis et Romanis scriptoribus temere dicta fuerint, excerpit, et Artapanum, cuius fragmentum Eusebius seruauit, esse suppositum docet. Apud nos quiuis magistellus haec centies ab omnibus dicta melius etiam exposuisset, quae Auctor protulit. XV. *Belley* de nu- p. 209.
mis quibusdam regum Syriae, qui nomen Nicephororum assumserunt: nummos argenteos, in quibus tituli Antiochi Epiphanis Nicephori legantur, non cum Froelichio et Vaillantio Antiocho XII. sed Antiocho IV. tribuendos esse. XVI.
*Idem* de numis duobus Demetrii III. re- p. 216.
gis Syriae, in quibus ΘΕΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ titulus regi tri-
buitur. XVII. *Menard* pergit in de- p. 228.
scriptione prouinciae Narbonensis, quam Plinio auctore alio tempore inchoauerat. XVIII. *d'Anville* de latitudine, p. 250.
et longitudine spatii Alexandriam inter et Syenen interiecti, vbi Eratosthenis et Ptolemaei narrationes examinantur.
XIX. *Bonamy* de verbis *Francia* et p. 263.
*Franci*, titulisque *Reges Francorum* et *Reges Franciae*. XX. *Idem* de titulo p. 268.
*Regis Christianissimi* Franciae regibus

 dato,

dem, et tempore, quo primum vsurpatae fuerint. Tributum fuisse obseruat Ludouico VII. eiusque successoribus omnibus eundem commisso. XXI. *Menard* de
p. 287. Chronico antiquo ecclesiae Vcetiae (d'Uzès) edito superiore seculo. XXII.
p. 302. *Dupuy* de optimo modo posteritati accuratam nostrorum ponderum et mensurarum scientiam tradendi. Ignorantiam enim harum rerum apud antiquos et maiores nostros multa obscura nobis reddere priuareque nos vtili et iucunda eruditione recte obseruat. XXIII. *Idem*
p. 312. de quibusdam, quae ad versiones Gallicas veterum scriptorum emendandas pertinent. Naeuos quosdam colligit e Curtio Vaugelasii et Metamorphoseon Ouidii Banieriana versione. Desiderabit igitur ad Societatem, quarum in Germania est tantus numerus, Theotiscarum labores Regia Academia Parisina!
p. 330- Sequuntur elogia sodalium Academiae
382. nuper mortuorum publice recitata, Caroli Peyssonnel, Christiani Guil. de Lamoignon, Ludouici Francisci de Fontana, Anicet Melot, Ioannis Lebeuf.

Huic volumini addita est altera pars, quae integros exhibet sodalium commentarios,

[illegible] in [illegible] argumentis [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] origine [illegible] Phoeniciorum, Hebraeorum, et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Mül[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Interim facile intelligi [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

II. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] historiae [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Omnia [illegible] et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Graecae historiae [illegible] [illegible].

II. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] de [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] de

[illegible] Mülleri.

Mithra, quo, exclusa vi omni alia divina et persona, existimat solem indicatum fuisse, et de illius cultu contra Mos-
p. 142. hemium. IV. *Idem* de doctrina sectatorum Zoroastrae sub dynastia regum
p. 167. Sassanidarum. V. *Idem* de sententia Zoroastrae de origine mali. VI. *Idem*
p. 202. de doctrina Pythagorae, Platonis, Gnosticorum aliorumque, qui Manen praecesserunt illiusque sententiis quasi viam strauerint de origine mali. VII. *Le*
p. 229. *Batteux* de Philosophorum a Thalete vsque ad Socratem opinionibus de duplici causa effectrice rerum vniuersarum, vna, quae materia sit ex qua quaeque res efficiatur, altera, quae quaeque efficiat vi sua. Addita est vna cum Graecis verbis versio Ocelli Lucani, de causis vniuersis, Gallica, quam examinare non lubuit, olim iam delassato animo Argensiana interpretatione. Obseruauimus tamen, e codice regio aliis editoribus incognito adiectas fuisse varias lectiones, quarum non paucae satis memorabiles sunt. Adiecit etiam Auctor obseruationes, quibus Ocelli sententiae illustran-
p. 295. tur et explicantur. VIII. Sequitur continuatio argumenti, recensitis eorum Graeciae Philosophorum sententiis, qui

vni

vni causae vniuersae naturae originem tribuerunt. IX. *Le Beau* de legione p. 325-Romana, de diuersis militum generi- 420. bus, de hastatis, principibus, triariis et velitibus, de cohorte, illiusque partibus, de manipulis, centuriis. — O te olim infelicem, optime Cayle, qui repuerascere, atque nugas has, quae pueris, non tibi, non tui similibus, occentandae erant, audire coactus sis! Me vero felicem, cui perlecta vna alteraue plagula librum totum abiicere eaque negligere liceat, quae inde a Lipsio vsque ad Nieuportium nemo ignorauit!

Progredimur ad alterum volumen, quod, vt altera pars prioris, integros commentarios complectitur.

I. *Burigny* de vita Herodis Attici. p. 1.
II. *Le Beau* de vero Aristophanis consilio in scribenda Comoedia: ἐκκλησιάζουσαι. p. 29. Auctor dicit, poetam reipublicae formam a Platone delineatam irridere et perstringere voluisse. quae opinio iam tradita fuit a Graeco auctore argumenti huius Comoediae. Inde comparationem inter Platonis opiniones et Aristophanis verba instituit. III. *Idem* p. 51. de Pluto Aristophanis atque Comoediae

mediae Graecorum indole, cuius exem-
plum esse censet Plutum, diuersum ab
omnibus reliquis fabulis Aristophanis,
diuersumque etiam a comoedia noua,
quemque cum Ranis comparat. Etiam
Timon Lucianeus confertur cum Pluto.
p. 83. IV. *D'Anville* de Ophira, regione vnde
Salomonis classis aurum petebat. Eo-
rum sententiam confirmare studet, qui
in Africa hanc regionem quaerunt.
p. 94. V. *de la Nauze*, de situ quarundam
vrbium Romanarum, non procul fre-
to Gaditano, ex Itinerario Antonini.
p. 113. VI. *D'Anville* de situ Tartessi, vrbis
maritimae Baeticae, et freti Gaditani la-
p. 132. titudine. VII. *Idem* de sinu Persico, de
Euphratis et Tigris ostiis. VIII. *Idem*
p. 198. de amplitudine veteris Romae, termi-
nis, quibus vrbs ipsa definita fuit, viis
Romanis publicis inde deriuatis, mul-
tarumque vrbium ab Vrbe distantia:
quam, non a portis, sed a media vrbe
numerandorum passuum initio facto de-
p. 237. finiendam esse docet. IX. *Idem* de po-
pulis, qui hodie Daciam Traiani inco-
p. 262. lunt. X. *Belley* de vrbe Rhoso in Sy-
ria, de titulis, priuilegiis, diis vrbis,
aliisque, quae ad illius historiam spectant.
p. 271. XI. *Idem* de nummo a ciuibus Antiochiae

sub

*sub* praefectura Traiani, Imper. Traiani
patris, cuso. XII. *Idem* de duobus nu- p. 287.
mis Balaneensium in Syria. Illud in-
primis operam dat, vt, qua quaeque vrbs
aera vsa sit, ostendat. XIII. *Idem* de p. 294.
nummo Nicopoleos in Palaestina. Quot
vrbes hoc nomine appellatae fuerint, nar-
rat, et de situ et historia huius vrbis agit.
XIV. *Idem* de numis Bostrae vrbis Ara- p. 307.
biae. XV. *Idem* de aera Germanicopo- p. 324.
leos, et Neoclaudiopoleos in Paphlago-
nia. XVI. *Brequigny*, de vita et rebus p. 338.
gestis Imp. Posthumi e numis illustratis.
XVII. *de la Nauze* de pondere librae p. 359.
antiquae Romanorum: quod argumen-
tum ita explicat, vt loca Plinii quaedam
cum pondere antiquissimorum aureo-
rum numorum Romanorum comparet,
atque hac comparatione instituta finem
sibi propositum assequi studeat. XVIII.
*Bonamy* de lege Valentiniani I. qua p. 394.
omnibus imperii Romani ciuibus dua-
rum vxorum simultaneum coniugium
concessisse dicitur. Eius Socrates pri-
mus mentionem fecit. Sed Auctor
huic narrationi nullam fidem habendam
esse ostendit, quae fuit etiam Baronii,
Valesii et aliorum opinio. XIX. *Bar-* p. 405.
*thelemy* de monimentis quibusdam

 Phoeni-

dato, et tempore, quo primum vsurpatus fuerit. Tributum fuisse obseruat Ludouico VII. eiusque successores omnes eundem retinuisse. XXI. *Menard* de
p. 287. Chronico antiquo ecclesiae Vzeae (d'Uzès) edito superiore seculo. XXII.
p. 312. *Dupuy* de optimo modo posteritati accuratam nostrorum ponderum et mensurarum scientiam tradendi. Ignorantiam enim harum rerum apud antiquos et maiores nostros multa obscura nobis reddere priuareque nos vtili et varia eruditione recte obseruat. XXIII. *Idem*
p. 322. de quibusdam, quae ad versiones Gallicas veterum scriptorum emendandas pertinent. Naeuos quosdam tollit e Curtio Vaugelasii et Metamorphoseon Ouidii Banieriana versione. Descendit igitur ad Societatum, quarum in Germania est tantus numerus, Theotiscarum labores Regia Academia Parisina!
p. 332- Sequuntur elogia sodalium Acade-
382. miae nuper mortuorum publice recitata, Caroli Peyssonnel, Christiani Guil. de Lamoignon, Ludouici Francisci de Fontenu, Anicet Melot, Ioannis Lebeuf.

Huic volumini addita est altera pars, quae integros exhibet sodalium commentarios,

mentarios, quorum argumenta paucis indicabimus. I. *De Guignes* de origine litterarum Phoeniciarum, Hebraicarum, et aliarum: vbi simul ostendere conatur, hyroglyphica signa, quae in monimentis Aegyptiorum apparent, accedere ad Sinensium signa atque ab iis orta haec esse, immo nationem Sinensem coloniam esse Aegyptiacam. Multum hic coniecturis tribui vel me non monente patet. Interim facile intelligo, si Auctoris opinio satis confirmetur, ope Sinensium signorum explicari posse monimenta Aegyptiacis signis notata. II. *Bougainville* de antiquissima Graecorum historia, et, qui illam memoriae prodiderunt, scriptoribus. Prima pars ad aetatem heroicam pertinet: altera disputatur, an Graeci accuratam cognitionem primorum historiae suae annorum habere potuerint, an obseruauerint ordinem quendam chronologicum in operibus suis, quantumque fidei iisdem debeatur. Omnia spectant ad refutationem Neutonii eorumque qui auctoritatem vetustae Graeciae historiae extenuare conati sunt. III. *Foucher* de doctrina Zoroastrae de natura deorum illiusque sectatoribus. Multa insunt de

p. 27. p. 87.

 Mithra,

Mithra, quo, exclusa vi omni alia diuina et persona, existimat solem indicatum fuisse, et de illius cultu contra Moshemium. IV. *Idem* de doctrina sectatorum Zoroastrae sub dynastia regum Sassanidarum. V. *Idem* de sententia Zoroastrae de origine mali. VI. *Idem* de doctrina Pythagorae, Platonis, Gnosticorum aliorumque, qui Manen praecesserunt illiusque sententiis quasi viam strauerint de origine mali. VII. *Le Batteux* de Philosophorum a Thalete vsque ad Socratem opinionibus de duplici causa effectrice rerum vniuersarum, vna, quae materia sit ex qua quaeque res efficiatur, altera, quae quaeque efficiat vi sua. Addita est vna cum Graecis verbis versio Ocelli Lucani, de causis vniuersis, Gallica, quam examinare non lubuit, olim iam delassato animo Argensiana interpretatione. Obseruauimus tamen, e codice regio aliis editoribus incognito adiectas fuisse varias lectiones, quarum non paucae satis memorabiles sunt. Adiecit etiam Auctor obseruationes, quibus Ocelli sententiae illustrantur et explicantur. VIII. Sequitur continuatio argumenti, recensitis eorum Graeciae Philosophorum sententiis, qui vni

p. 142.
p. 167.
p. 202.
p. 229.
p. 295.

vni causae vniuersae naturae originem tribuerunt. IX. *Le Beau* de legione Romana, de diuersis militum generibus, de hastatis, principibus, triariis et velitibus, de cohorte, illiusque partibus, de manipulis, centuriis. — O te olim infelicem, optime Cayle, qui renuerascere, atque nugas has, quae pueris, non tibi, non tui similibus, occentandae erant, audire coactus sis! Me vero felicem, cui perlecta vna alteraue plagula librum totum abiicere eaque negligere liceat, quae inde a Lipsio vsque ad Nieuportium nemo ignorauit! p. 325-420.

Progredimur ad alterum volumen, quod, vt altera pars prioris, integros commentarios complectitur.

I. *Burigny* de vita Herodis Attici. p. 1.
II. *Le Beau* de vero Aristophanis consilio in scribenda Comoedia: ἐκκλησιάζουσαι. Auctor dicit, poetam reipublicae formam a Platone delineatam irridere et perstringere voluisse. quae opinio iam tradita fuit a Graeco auctore argumenti huius Comoediae. Inde comparationem inter Platonis opiniones et Aristophanis verba instituit. p. 29.
III. *Idem* de Pluto Aristophanis atque Comoediae p. 51.

 mediae

mediae Graecorum indole, cuius exemplum esse censet Plutum, diuersum ab omnibus reliquis fabulis Aristophanis, diuersumque etiam a comoedia noua, quemque cum Ranis comparat. Etiam Timon Lucianeus confertur cum Pluto.
p. 83. IV. *D'Anville* de Ophira, regione vnde Salomonis classis aurum petebat. Eorum sententiam confirmare studet, qui in Africa hanc regionem quaerunt.
p. 94. V. *de la Nauze*, de situ quarundam vrbium Romanarum, non procul freto Gaditano, ex Itinerario Antonini.
p. 113. VI. *D'Anville* de situ Tartessi, vrbis maritimae Baeticae, et freti Gaditani la-
p. 132. titudine. VII. *Idem* de sinu Persico, de Euphratis et Tigris ostiis. VIII. *Idem*
p. 198. de amplitudine veteris Romae, terminis, quibus vrbs ipsa definita fuit, viis Romanis publicis inde deriuatis, multarumque vrbium ab Vrbe distantia: quam, non a portis, sed a media vrbe numerandorum passuum initio facto de-
p. 237. finiendam esse docet. IX. *Idem* de populis, qui hodie Daciam Traiani inco-
p. 262. lunt. X. *Belley* de vrbe Rhoso in Syria, de titulis, priuilegiis, diis vrbis, aliisque, quae ad illius historiam spectant.
p. 271. XI. *Idem* de nummo a ciuibus Antiochiae

sub

sub praefectura Traiani, Imper. Traiani patris, cuso. XII. *Idem* de duobus nummis Balaneensium in Syria. Illud inprimis operam dat, vt, qua quaeque vrbs aera vsa sit, ostendat. XIII. *Idem* de nummo Nicopoleos in Palaestina. Quot vrbes hoc nomine appellatae fuerint, narrat, et de situ et historia huius vrbis agit. XIV. *Idem* de numis Bostrae vrbis Arabiae. XV. *Idem* de aera Germanicopoleos, et Neoclaudiopoleos in Paphlagonia. XVI. *Brequigny*, de vita et rebus gestis Imp. Posthumi e numis illustratis. XVII. *de la Nauze* de pondere librae antiquae Romanorum: quod argumentum ita explicat, vt loca Plinii, quaedam cum pondere antiquissimorum aureorum numorum Romanorum comparet, atque hac comparatione instituta finem sibi propositum assequi studeat. XVIII. *Bonamy* de lege Valentiniani I. qua omnibus imperii Romani ciuibus duarum vxorum simultaneum coniugium concessisse dicitur. Eius Socrates primus mentionem fecit. Sed Auctor huic narrationi nullam fidem habendam esse ostendit, quae fuit etiam Baronii, Valesii et aliorum opinio. XIX. *Barthelemy* de monimentis quibusdam Phoeni-

p. 287.
p. 294.
p. 307.
p. 324.
p. 338.
p. 359.
p. 394.
p. 405.

Phoeniciis, quae insula Melite habet, quibusque explicandis iam quidam ingenium exercuerunt, et inde eruendis
p. 428. litteris Phoeniciis. XX. *Caylus* de Diana Ephesia illiusque templo. Collectis omnibus, quae antiqui de templi aedificatione, de magnitudine illius, et varia fortuna, de deae ipsius statua memoriae prodiderunt, explicat monimentum antiquum anaglyphi operis, quod
p. 442. templum hoc exhibet. XXI. *Idem* de Venere Apellis, quae dicebatur Anadyomene. Signum aeneum Veneris, exeuntis e mari, capillosque aqua madidos exprimentis manibus occasionem dedit huic disputationi, in qua primum Plinii locum (L. XXXV, c. 10.) de pictura Apellis examinat, vbi recte existimat, verbis: *versibus Graecis tali opere dum laudatur, victo sed illustrato*, inserendum esse verbum *non* ante *victo*: tum varia ex Anthologia Graeca carmina profert, quibus Venus Apellis laudatur: denique de ipsa Apellis Venere loquitur, de arte pictoris disputat, eumque Hesiodo dicit debere primam hu-
p. 457. ius Veneris notionem. XXII. *Idem* de loco Plinii, vbi de lapide Obsidiano sermo est. Cum de ipso lapide, tum de

de illius imitatione per vitrum loquitur, et praeter alia de vasis, quae murrhina dicuntur, sententiam exponit. XXIII. *Barthelemy* de celeberrimo pauimento p. 503. tessellato, in templo fortunae Praenestinae inuento. Quod cum varias doctorum virorum explicationes expertum sit, illas enarrat, suamque opinionem confirmare studet, illo monimento iter indicari, quod Imp. Hadrianus e Syria in Aegyptum fecit. XXIV. *de Chabanon* p. 539. in Homeri carminibus originem primam Tragoediae inuenit. Postquam enim dixit actus et choros non ad naturam Tragoediae pertinere, addit: *La grandeur des caractères, la force des passions, les actions, qu'elles produisent, le langage qui leur est propre, voilà la substance tragique: elle réside dans les poemes d'Homere* etc. qua de disputatione quid sentiendum sit, quisque intelligit.

Qui nunc sequuntur, ad historiam p. 557. Franciae pertinent libelli. Quare eos, ab nostro instituto abhorrentes, silentio praeteribimus. XXIX. *Bonamy* com- p. 729. parat aquae ductus Parisinos cum Romanis, atque, ne quis miretur Auctoris iudicia, qui magnificentiam eorum his simi-

lem

lem esse putat, quae paullo post subiungit, statim recordetur necesse est: *nous les*
p. 756. *avons imités en petit.* XXX. *Menard* de genere et parentibus Laurae, cuius nomen aeternis versibus posteritati tradidit Petrarcha. de qua quidquam dicere vix attinet, post illud opus, cuius nuper mentionem fecimus, cuiusque auctorem
p. 761. Abbatem de Sade esse colligimus ex aliquo
p. 777. huius libelli loco. XXXI. *de Brosses* descriptio vasis et quatuor codicum nuper in Siberia inuentorum. XXXII.
p. 802. *de Guignes* de Christianis qui sec. VII. in Chinam venerunt.

---

## VII.

### Corollarium Animaduersionum ad Laocoonta Lessingii, V. Cl.

Nisi viro praestantissimo, Lessingio, de mei animi, amore et admiratione semper prosecuti diuinum viri ingenium plurimarumque rerum scientiam, candore persuasum esse crederem; nisi scirem eundem aliorum dissensum ita ferre, vt solent, aut potius vnice possunt similes Lessingii viri, ingeniosi

et eruditi, qui veritatis inueniendae et explicandae studio nil prius aut antiquius esse debere scriptoribus existimant, non adderem nunc iis, quae alio tempore (*) disputaui, nonnulla, quae nuper relegenti elegantissimum librum in mentem venerunt. Sed venustas Viri Cl. et humanitas facile illam et lubenter offert libertatem dicendi et iudicandi, quam aliis nec vi extorquere multa licet.

I. Quae contra Viri ingeniosissimi sententiam dixi (p. 312.) de statua Borghesiani gladiatoris, quam ipse ad Chabriam referre maluit, ea, quo attentius verba Cornelii, *obnixo genu scuto* considero, eo probabiliora mihi videntur. Sed quid longa oratione opus est? Chabriam ipsum genu flexo et clypeo opposito antiquae gemmae exhibent (**), quarum si imaginem iam tum recordatus fuissem, meae opinioni maiorem auctoritatem conciliare potuissem.

II. Figurae in aëre pendentis, nullis aliis additis, exemplum in gemma antiqua apparere monui. (p. 318.) Sed debebam

(*) in Vol. III. p. 283. sequ.

(**) vid. *Musei Florentini* Gemmas. T. I. tab. XXVI.

debebam aliud addere exemplum, nisi perfidia memoriae fefellisset, quod crater ex achate vtrimque admirabili artificio sculptus, offert, qui olim Museum Farnesianum ornauit, nunc in Museo Regio Neapoli seruatur. Scip. Maffeius (*), arte et manu Francisci Bianchini adiutus, qui Alexandri M. apotheosin exhiberi putauit in pulcherrimo opere, crateris huius imaginem non prorsus inscite reddidit et alio loco explicationem illius tentauit (**), familiam Ptolemaei Auletis in eo conspexisse, sibi visus. Mariettus quoque (***), laudata vehementer artificis antiqui manu interpretationem operis aggressus est, atque illud honori Cleopatrae dicatum esse coniecit, posteaquam illa fratre Ptolemaeo extincto regiam dignitatem nacta fuit. Accuratius vero reliquis de illo egit Cl. Barthe-

(*) in *Museo Veronensi*, s. *antiquar. Inscription. atque anaglyphorum Collectione* p. 355.

(**) v. *Dissertazione sopra un gran tazza d'Agata Orientale figarata, nel Museo Farnese, ora Reale di Neapoli:* nelle *Osservazioni letterarie* T. II. p. 339-353.

(***) dans le *Traité des pierres gravées* T. I. p. 397-403.

Barthelemius (*), qui ipso cratere conspecto et comparato cum imagine a Maffeio data, quae minus ab hoc fideliter reddita sunt, indicat et corrigit, Cererem, Triptolemum, et Bacchum, agnosci, coelique Aegyptiaci temperiem et soli fertilitatem adumbrari putat. Vtut vero haec sint, in aëre videmus duas figuras, alteram velum supra caput gestantem, alteram concha sonantem, sine alis pendere: quibus aërem et ventos exprimi quidni credamus viris doctis?

III. Quod ad numum Antonini, qui huic disputationi occasionem dedit, (p. 317.) attinet, puto controuersiam nostram posse tolli facile, si comparauerit Vir Cl. cum illo gemmam antiquam, quae ad illius similitudinem proxime accedit (**), *pendentemque* Martem et ad Rheam accedentem clare exhibet. Quare etiam istorum monimentorum doctissimus interpres in commentariis scripsit: *Operis faciendi sibi tanquam*

(*) v. *l'Explication de la Mosaique, de Palestrine*, dans *les Mémoires de littérature tirés des Registres de l'Acad. des Inscript.* T. XXX. p. 510.

(**) vid. *Franc. Ficoronii gemmas antiquas litteratas aliasque rariores.* t. III. n. 6.

*quam exemplar propofuit Antonini numum, in quo haec eadem effigies conspicitur.* Nisi me omnia fallunt, sperare audeo, quae Vir elegantissimus de isto numo figurisque in aëre pendentibus scripsit, eidem hac gemma considerata minus probatum iri.

IV. Mirari se scripsit mihi amicus quidam, quomodo factum sit, vt Cl. Lessingius, qui tot maculas feliciter abstersit Winkelmanniano operi, alium errorem Cl. Winkelmanni de variolis silentio praeterierit. Nam hunc et alio loco dicere (*): variolas Graecis antiquis incognitas fuisse, et alio scribere (**), in medicis Graecis nihil de variolis occurrere. Vtrumque esse falsum. Nam inquit, claris argumentis variolas Graecis quoque molestas fuisse ostendit Io. Gothofr. Hahnius (***), et quamuis Werlhofius (†) illius sententiae quaedam opponere tentaret, ita tamen sententiam suam ille defendit, vt pleros-

(*) in *der Geschichte der Kunst.* p. 14.

(**) *von der Nachahmung der Griechischen Werke* p. 7.

(***) v. *Variolarum Antiquitates nunc primum e Graecis erutae.* Brigae, 1733.

(†) in diss. *de variolis et anthracibus.* Hanouerae, 1735.

plerosque, atque etiam ipsum Trillerum (*), quo forte nemo diligentius Graecos medicos legit, pauci de iis rectius iudicant, ad suas partes traheret. Alii etiam, pergit amicus meus, (nam ei, quicquid est huius animadversionis, debetur) eandem opinionem de variolis priscae aetati non ignotis tradiderunt, in his Salmasius (**), Huetius (***), et Car. Drelincurtius (†). Hippocratis ἄνθρακες θερινοὶ (††) procul dubio variolae sunt. Galeni locus luculentior etiam est (†††): πολλάκις δ' οὐ μία φλυκταίνα γεννᾶται κινησαμένων, ἀλλὰ πολλαὶ μικραὶ καθάπερ τινες κέγχροι καταπυκνοῦσαι τὸ μέρος ὧν ἐκρηγνυμένων ὁμοίως ἐσχαρῶδες ἕλκος γεννᾶται. Aëtius hunc morbum παιδίων νόσον et ἐξανθήματα παιδίων appellat.

(*) v. *Carbo pestilens a Carbunculis, siue variolis veterum distinctus.* Vratislau. 1736. cum duabus cel. Trilleri epistolis.

(**) *de annis climacter.* p. 726.

(***) in *Huetianis* c. 59. p. 131.

(†) in diss. *de Variolis* (Lugd. Bat. 1685.) §. 7.

(††) L. II. Epid. init. et L. IV. §. 23.

(†††) Opp. Graec. Class. IV, p. 190.

pellat. Nostri medici distinguunt anthracem a variolis. Sed hanc differentiam non obseruasse veteres medicos ostendit venerabilis senex, Trillerus.

---

# VIII.

## CENSVRAE LIBRORVM MINORES.

### I.

Diatribe *Academica de dea Angerona quam — disceptatore* Christophoro Saxio, *A. L. M. et Philos. Doct. Antiquit. et Human. litterar. — Profess. Ordin. — publice defendendam suscipit* Ioachimus van Vliet, Ioachimi Filius, Indo-Batauus. *Traiecti Batauor.* 1766. plagg. 9. 4. Vehementer laetamur, quoties viros ingeniosos et eruditos, aut, quod idem est, *Saxio* similes ad obscura antiquitatis capita explicanda accedere videmus. Quid enim non ab incredibili litterarum varietate, a venustissima ingenii elegantia, a summo mentis acumine, ab indefessa diligentia, quam laudem Saxiana scripta vbique praeferunt, exspectare nobisque polliceri possumus?

ſumus? Neque enim tantum omnia ingenii ſui et doctrinae luce illuſtrat apte, ſed etiam iuſtum cuique rei pretium ſtatuit, nec alia, vt ſolet vulgus antiquariorum, tractanda ſibi ſumit, quam quae digna ſint expoſitione. Quam viri Cl. rationem intelligere poſſumus etiam ex huius libelli *cap. 1.* vbi veram monimentorum rationem et vtilitatem in litterarum ſcientia mutuaeque ſcriptorum et artium lucis neceſſitatem oſtendit; qua in re ita verſatur, vt non artium tantum fabrilium cauſa eiusmodi monimenta cognoſci oportere doceat, ſed nos quoque iis, hiſtoriae, communium litterarum et ſcriptorum praeſertim cauſa, vti poſſe et debere addat. In *cap. II.* ad ipſam rem propoſitam Vir Cl. progreditur et de ſcriptura nominis, vtrum ſit Angerona, an Angeronia? diſputat. Illam vero et numero et dignitate teſtium ſaluam pronunciat. *Cap. III.* indolem et naturam huius deae complectitur: vbi docetur, ſilentii eam fuiſſe praeſulem, nec tamen generatim omnis, ſed illius, quo tegeretur Genii vrbis propriumque vrbis Romae nomen, quoque aegritudinis et moleſtiae remedium vulgo parari ſoleret:

 non

non eam tutelarem fuisse urbis Romae deam, sed nominis tantum custodiam gessisse: denique eam originem nec ab Harpocrate Aegyptio, nec a Graecis, nec a Persis duxisse, sed velut indigetem deam Romae natam esse et ritu mere Romano consecratam. *Cap. IV.* pertinet ad Angeronae cultum, cuius origines adeo sunt nimia vetustate obscuratae, vt velut ex magno loci intervallo vix cernantur. Eum tamen Vir Cl. docet non repetendum esse a dea *Muta* aut Numae regis *Tacita.* Religionem Angeronae satis fuisse veterem, nec tamen eam templum, nec fanum, nec sacellum sibi primum habuisse, duntaxat simulacrum duplex. Quo loco inuitatus Vir Cl. in antiquo Kalendario Gruteriano, quod a quibus, et quomodo, descriptum ac propagatum fuerit narrat, *Diualia* docet haudquaquam ad solam, vt putant vulgo, Angeronam pertinuisse. In *cap. V.* Angeronae simulacra recensentur, quorum duplex species exstat. Aut enim digito labris admoto silentium imperat, cuius generis sunt omnes, quotquot adhuc lucem viderunt, imagines, (septem Vir Cl. recenset) aut os obligatum, obsignatum praenexumque, vt dicunt

cint antiqui scriptores, habet, cuius formae nulla innotuit adhuc imago, praeter eam, quam sigillum aeneum gemmaque caelata Musei principalis Auriaci praebent. Vtramque imaginem signis ex ipsis picturam lineari ductam, dein tabulae aereae radio luculenter inscriptam et chartis impressam Auctor huic libello adiecit et descripsit. [Vbi Vir Cl. de digito ad os admoto loquitur, recordati sumus picturae antiquae, ex Herculanensibus ruinis extractae (*). In ea apparet Polymnia, Musa, manus indicem ori admouens, addito titulo: ΠΟΛΥΜΝΙΑ ΜΥΘΟΥΣ. Quo quidem gestu Musae tributo nil aliud indicare voluit pictor, quam eam esse chironomiae praesidem et inuentricem, siue, vt poeta dicit, *signare cuncta manu, loqui gestu.* Neque tamen viri docti, qui regio operi commentarium saepe satis nugacem, addiderunt, mihi satisfaciunt, dum cum Hauercampo eandem esse putant Polymniam, quae fuerit Numae Tacita. Namque haec dea fuit Romanorum propria. Interim huius picturae comparatio forte aliquid fa-

 ciet

(*) vi. *Le Pitture antiche d'Ercolano*, T. II. tab. VI.

ciet ad explicationem gemmae annularis, cuius descriptionem Vir Cl. p. 56. dat. Equidem in vniuersum non dubitabo haec dicere. In iis gemmis, quae eleganter sculptae Graeci artificis manum ostendunt, et in qua foemina hoc habitu, quem Musa Herculanensis praefert, apparet, Polymniam quam Angeronam agnoscere malo.]

II. Quis credat, hac aetate, qua Philosophiae anili superstitioni inimica lux iis quoque in Germaniae regionibus tenebras dispulit, vbi per alias caussas libere sentire adhuc non licuit, media in Saxonia, quae iure florentissima habetur ingeniis et doctrina, exstitisse nuper homines, qui Copernicanam de motu terrae sententiam refutare eamque tanquam impiam damnare auderent? Hoc si iis temporibus accidisset, quibus Galilaeus et Iordanus Brunus hominum odia et vexationes ob verissimam doctrinam incurrebant, hercle! parum stuporem istum miraremur. Sed in Saxonia, nostra aetate, immo publice in celeberrima litterarum Vniuersitate, eaque nuper clarissimi Bosii ingenio illustrata, eam comoediam agi potuisse

quis

quis non indignetur? Quamuis vero amor communis patriae nobis suadere silentium videatur, illosque poetae versus in memoriam reuocet:

*ne postera credant*
*Saecula! nos certe taceamus et obruta multa*
*Nocte tegi nostrae patiamur crimina gentis!*

tamen et auctorum nomina appellabimus, et recensebimus libelli argumentum. Libelli titulus est:

*Q. D. B. V. Dissertationem Theologicam de scriptura sacra in astronomicis iuxta rei veritatem pronunciante, praeside* Christ. Sigismundo Georgio, S. S. Theol. D. eiusdemque Prof. Publ. Ord. — *a. cIↄ Iↄ CCLXV. — defendet Auctor* M. Christ. Gottlieb Gillingius, *Facult. Philos. Adiunctus ordin. Vitembergae.* pagg. 28. 4.

Hunc libellum si ita scriptum esse dicimus, vt facile exspectari potest ab homine, in quem talia scribendi lubido cadat, profecto omnia diximus. Sed addamus tamen pauca de ratione et opinionibus Auctoris. Est enim operae

 pretium

pretium imbecillitatem animi inde intelligere. Posteaquam igitur iste multa praeter necessitatem dixit de consensu Philosophiae cum Theologia, praefatus illud sollemne: *Faxit deus feliciter!* Quenstedtii, Calouiique voluminibus allatis, iis, quasi columna, innixus, θεοπνευςίαν sacrae scripturae ostendere incipit: tum docere nititur, res aeque ac verba ab vno eodemque auctore, siue Spiritu S. proficisci: porro de veritate Scripturae S. et voluntate Spiritus S. veritatem loquendi, centies dicta repetit. Quorsum haec, quaeris, disputentur, quae
p. 10. nemo negat? Nempe haec ideo fiunt, vt deinde sermonem concludere liceat: *stat et stabit veritatis sententia, Spiritum S. nec voluisse nec potuisse contra veritatem quidquam pronunciare. — Liquet igitur ex dictis, etiam Astronomica Scripturae S. esse debere conformia et quemcunque Astronomum Christianum teneri, scripturae effata omnia recipere vt verissima.* His fundamentis iactis, maius Auctor opus aggreditur atque terram immotam stare testimoniis scripturae S. probare conatur (*), proprietatem

(*) I Chron. XVI, 30. Ps. XVIII, 16. Iob. XXXVIII, 6. Ps. CIV, 5. Ps. CXIX, 90.

prietatem verborum amplexus, vt solet expers poetici ingenii nullaque poetarum consuetudine imbutum vulgus interpretum: vbi nil aliud agit Auctor, quam vt ostendat, se plane nescire poetici sermonis indolem, nec distinguere posse ea, quae in carminibus audaci verborum licentia efferuntur ab oratione soluta historici. Eadem argumentorum vi et robore (*) ostendere iste nititur, solem moueri; *lacera*, vt de Copernicanis eleganter dicit, *sua chorda oberrans*. Atque haec in prima parte libelli aguntur, quae homo mirificus p. 17. *adeo perspicue demonstrasse* sibi videtur, *vt nemo dubitare possit nec debeat Christianus*. in altera hae opiniones explicantur: testimoniis Scripturae S. non dubiis terrae quietem confirmari: Scripturam S. in rebus mathematicis *auctoritatem* habere *normandi et decidendi*: non loqui Spiritum S. *iuxta erroneas apparentias*: nec *se ad erroneam opinionem vulgi accommodare*. Quae quidem omnia posteaquam e chartis obsoletis, procul dubio ab auo atauoque pio nepoti traditis, in suum libellum



(*) e Ios. X, 12, 13. Cohel. I, 5. Ps. XIX, 6, 7.

bellum transtulit, magna voce illam quibusdam Lutheranae ecclesiae sacerdotibus heu! nimis familiarem formulam addit: ΑΝΑΘΕΜΑ ΕΣΤΩ. Estne enim lenior horum verborum senten-
p. 28. tia? *Qua de causa Tychonico longissime postponere Copernicanum systema, immo reiicere debet omnis verus Christianus?* Quid tum? *actum est! Ilicet!* — Refutare vero illa, quae auctor dixit, aut contra illius opiniones ea proferre, quae Wilkinsius et alii docti viri saepius vere et erudite disputauerunt, profecto non opus est. Quis enim aut sententiam, cui lux lumenque vitae, ratio, patrocinatur, quacum omnia consentiunt, quae naturae vniuersae ambitu continentur, quamque iam diu vna voce totus, qui a superstitione abhorret doctrinaeque aliqua luce collustratus est, orbis, veram esse professus est, copiosius defendat, aut hominem refutatione dignum esse censeat, qui meridie lucere neget? Nos potius hanc tabulam quasi in templo Mnemosynes suspendemus et, vt solent Physici monstrosos naturae foetus describere, non quasi placeant, sed quia talia litteris consignare iuuat, ita nos quoque memoriae prodemus:

*Coperni-*

*Copernicanam de motu terrae sententiam anno LXV. seculi XVIII. in Vniversitate Vitembergensi publice et serio quosdam damnasse.*

III. *Staat und Character der Athenienser, entworfen von* Iohann Simeon Lindinger, *Doctor der Gottesgelahrheit, &c.* Halae, in officin. Rengeria, 1766. pagg. 189. 8. Non deest fortasse Cl. Auctori industria, nec Graeci deest sermonis cognitio, si modo ex numero Graecorum, quos laudauit, scriptorum idoneam de hac coniecturam facere licet. Nec tamen vtraque sufficit ad rectum et verum de moribus Atheniensium iudicium ferendum. Desideramus in illo Philosophiam popularem, quam supra in Mablio laudauimus, diu in castris, in aulis, in conciliis principum versatam, optimorum librorum lectione politam, contemplatam attente mores hominum, vario vsu multarumque rerum scientia instructam. Hac qui praeditus ad mores Atheniensium pingendos formamque reip. describendam accesserit, ille profecto non aget verbosius de maioribus Atheniensium, (p. 3.) non repetet eorum fabu-

las de generis antiquitate et origine: (p. 5.) nec alia monebit, quae omnibus in libris occurrunt et historicis relinquenda sunt. Solonis leges idem non enumerabit tantum (p. 30.) sed sententiam quoque de iis suam dicet et quam vim habuerint in Atheniensium rep. quae et quanta vtilitas iis adiuncta fuerit, docebit. Non colliget veterum auctorum loca, (p. 13. sequ.) et testimonia, quae ad laudem et gloriam Atheniensium spectent, sed paucis contentus et idoneis testibus ita, quae apud eos recte et laudabiliter fierent, commemorabit, vt quisque facile, quid de iis iudicandum sit, intelligat. Sententias adsperget exquisitas, veras et nouitatis specie allicientes lectorem: non peculiari capite (p. 116.) ostendet, educationem liberorum esse rem omnium grauissimam. Quis enim aut veritatem sententiae negat, aut cui res ipsa ignota est? Denique eo dicendi genere vtetur, quod argumenti dignitati respondeat, illudque euitabit, quod ob vulgarem et quotidianam orationis formam animum fatiget. Hanc igitur rationem si Vir Cl. secutus fuisset, quem fore credamus, qui non illius librum lubenter legat?

legat? Sed collegit ille tantum quam plurima et materiem congessit, e qua Philosophus aliquis opus hercle! bellum et vtile construere poterit.

IV. *Rhétorique Françoise par M. Crevier, Professeur emérite de Rhétorique en l'Université de Paris.* Parisiis, 1765. apud Saillant et Desaint. P. I. pagg. 425. P. II. pagg. 384. 8. Mirati sumus Auctorem, qui nostrae aetati haec praecepta dicauit (*), ieiunam et peruulgatam Rhetorum cantilenam repetiisse, quaeque ab aliis centies dicta sunt, magno studio exposuisse. Certe nil maius in Francia hoc libello praestitit Creuierius, quam Gottschedius in Germania stramineis de arte oratoria commentariis. Sed in viros nuper mortuos asperius inuehi nec licet, nec lubet. Neque enim iucundum est, neque vtile, ea notare, quae reprehensionem occurrunt. Quid enim prodest docuisse, Auctorem Antonomasiam non referre debuisse ad tropos? Recensebimus potius breuiter libri argumentum, vnde,

(*) in praef. p. 21. *J'écris en François & pour des François du dix-huitieme siécle.*

vnde, illum nihil continere, apparebit, quod non in quouis alio libello occurrat. Primo loco in vniuersum quaedam traduntur, quae ad definitonem Rhetorices, ad sententias et verba, eruditionemque oratoris pertinent. Dialecticam, Philosophiam morum, historiam, iuris scientiam illi cognitam esse debere monet: inprimis vero commendat *diuinam* Philosophiam morum et *euangelicam* Metaphysicam, cuius laudes pleno ore celebrat. Transit deinde ad tria genera caussarum, quae, mutata licet eloquentiae potestate pristina et conditione, tamen locum habere hodie credit, multo profecto melius acturus, si nostris temporibus accommodasset praecepta sua, atque de memoria, pronunciatione et praeceptorum vsu quaedam addit. In *cap. I.* de inuentione, explicantur, quae ad argumenta, mores, et adfectus spectant. In *cap. II.* de dispositione ita agit, vt rationem exordii, narrationis, confirmationis et perorationis explicet. *Cap. III.* spectat ad elocutionem, indicemque continet omnium troporum et figurarum, quae vnquam obscura Grammaticorum natio excogitauit. Cui igitur illa verba:

*Meta-*

*Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomasia*, et centum alia placent, aut qui hac sapientia delectatur, ille, quibus animo suo satisfaciat, inueniet multa. In *cap. IV.* de memoria, in *cap. V.* de pronunciatione praecipitur, et sub finem, quomodo imitatio recte instituenda sit, traditur. Omnia Auctor exemplis illustrare studet e Francicis scriptoribus, Fenelonio, Massillonio, Cochino, Bossueto, Daguessauio, aliis, repetitis. Atque horum exemplorum copia fortasse, si quod habet, libro pretium facit. Nobis tamen eiusmodi pulcherrima exempla e proprio in aliud quasi solum translata, idem pati videntur, quod floribus accidit, qui, si etiam venustissimae puellae digitis decerpantur, minus tamen iucundum et grauem, quam antea, odorem exspirant.

V. Carl Renatus Hausens *vermischte Schriften.* Halae Sax. ap. I. I. Curt. 1766. pagg. 134. 8. Diximus iam aliquoties sententiam nostram de ingenio et doctrina Cl. Auctoris, multas ob causas nobis carissimi, et libros a viro optimo scriptos ob sententias veras, liberas et elegantes, atque ob pulchrum dicendi

genus

genus laudantibus. Huius vero quid-quid est iudicii, me id non amicitiae dedisse, nec me ideo laudasse Virum Cl. quod vehementer illum amarem, (nam ideo potius illum amo, quia candor, ingenium, eruditio, omnium bonorum laude eum dignum reddunt) cum res ipsa docuit, tum ea quoque, quae in manibus habemus, opuscula ostendent. Horum argumentum breuiter indicabimus. I. primum opusculum pertinet ad artem historicam. Postea quam Auctor grauiter questus est de amissa dicendi libertate, primum, quid memoriae prodendum sit historico docet. Neque enim omnia, quae acciderunt, narrare opus est. Hic inprimis nostrorum hominum loquacitatem vituperat, qui pugnis et praeliis narrandis maxime delectantur, paruisque pugnis omissis eas tantum res bellicas attingi cupit, quae vniuersam rerum gestarum faciem populorumque fata illustrant. Tum quomodo in iis explicandis, quae anno huius seculi primo acciderunt, versati fuerint Burnetus, Barrius et Daniel ostendit, eorumque comparatione inter se instituta, docet, quae sibi sumere debeat narrandis historicus. Porro com-

mendat

mendat in ipſa narratione amicam rerum, quae cohaerent ſua natura, coagmentationem. Neque enim coniungi debent nulla inter ſe neceſſitudine iuncta, neque diſcerpi, quae amice conſpirant. Hoc praecepto obſeruato quomodo cauſae, origo, progreſſus et exitus rerum luculenter ante oculos lectoris ponantur, exemplo Suetonii, de Vitellii moribus et fatis exponentis, docetur. II. non iniucunda lectu ſunt, quae de moribus Io. Chriſt. Lunigii traduntur, hominis exigui ingenii, ſed magnae famae, quam immenſis voluminibus editis ſibi comparauerat. III. tertium opuſculum primas lineas hiſtoriae Curlandiae et Semigalliae inde ab anno huius ſeculi I. vsque ad XXXVI. exhibet. IV. ſequitur particula diſputationis de fatis nationum. Interdum, inquit Vir Cl. populus aliquis ſubito, nec apparentibus tamen cauſis, late imperium profert ſuperiorque fit reliquis. Multa contra ſpem et opinionem accidunt, quae aliorum populorum conſilia impediant, licet haec ſint ſapientiſſime excogitata. Contra alius populus prudente imperio fruitur, virtutem et ſapientiam colit, nec tamen fatalem diem euitat.

 Nil

Nil efficit consiliorum prudentia: omnia aduersa quasi coeunt fata: vel exigui momenti casus noxii fiunt: flos nationis extinguitur. Illustrat hanc sententiam Auctor exemplis Philippi et Alexandri, Macedonum, atque etiam reipublicae Romanae, cuius maiestatem et imperium legibus aliisque sapienter institutis sustentatum fuisse non credit Montesquieio. V. de vita et moribus Io. Iac. Mascouii, in quo Vir Cl. eruditionem laudat, superbiam atque parum candidum animum notat. VI. de vi historiae in formandis ciuium moribus et ingeniis. Quantam vtilitatem afferat ciuibus liberae reip. historicus, qui iis virtutis et libertatis amorem inspirare studeat, et quantum illi cedat hac parte is, qui in terra, vnius subiecta imperio, eidemque nullis legibus circumscripto, historiam scribat, luculenter Vir Cl. ostendit, cum comparatis historicis, qui sub Imperatoribus Romanis vixerunt, cum iis, qui liberae reip. tempora ornauerunt, tum ratione explicita, quam Graeci et Romani historici in rebus narrandis sequerentur. VII. de vita et ingenio Caroli XII. regis Sueciae, quem commentarium nec post Voltarii operum

ram legisse quenquam poenitebit. Vna quasi in tabula ingenium regis apparet, qui, vt Auctor dicit, suo exemplo docet, quam infelix sit populus, qui principem habeat non regem, sed victorem tantum gentium. VIII. Vltimo loco apparet oratio de arte historica, qua, quomodo historici rerum gestarum narrationem vtilem reddere debeant ciuibus suis, ostendit.

VI. *Ueber die neuere Deutsche Litteratur. Erste und zwote Samlung von Fragmenten. Eine Beilage zu den Briefen die neueste Litteratur betreffend*, 1767. pagg. 380. 8. Non memini me legere librum, in quo acutius, rectius doctiusque de sermone, litteris et ingeniis patriae nostrae disputatum esset, praeter hunc, cuius Auctorem ad principes huius aetatis Criticos referre non dubitamus. Scribendi enim materia arcessita ex iis commentariis, quos Berolini viri quidam docti de iis composuerunt, quae ad nouissimum litterarum in Germania statum pertinerent, quorumque auctoribus, si etiam aequitas interdum defuit liberque ab omni partium studio animus, nunquam tamen

 defue-

defuerunt sales, facetiae, amoenissimi-
que ingenii vires, ex iis igitur com-
mentariis scribendi occasione repetita,
et modo illustratis, modo examinatis,
refutatis etiam quibusdam eorum sen-
tentiis, ita de litterarum nostrarum ser-
monisque patrii natura, incrementis,
vitiis atque virtutibus disputavit, vt ep
mentis vbique, in interiora litterarum
penetrantis, magnam aciem ostenderet,
et quam plurima depromeret vtilia, iu-
cunda et erudita ex copiosae doctrinae
thesauris, quos illum domi reconditos
habere facile apparet. Atque etiam pe-
perit fortasse illa eruditionis abundan-
tia perpetuaque ingenii contentio subob-
scurum non raro dicendi genus, quod
aliquoties minus nobis placuit. Nam
et, quod aegre tulimus, ad lusus ver-
borum Auctor bis terue descendit (*),
et, dum ad veterum auctorum sententias,
ad verba sacra scripturae, ad historiae
antiquae capita, quam saepissime respi-
cit, nec tamen paullo copiosius eadem
explicat, sed paucis tantummodo attin-
git,

(*) v. c. p. 149. de ill. Mosero: *daß Moses keinen Aaron hat.* — p. 192. *jedes Journal reimt sich mit Tribunal.* add. p. 358. lin. 9.

git, nimis lectorum animum, cui omnia ea statim nota et cognita esse nequeunt, defatigat. Sed fortasse nec desunt, qui legere malint librum multa praeclara subobscure etiam tradentem, quam alium, admodum perspicuo sermone conscriptum, sed plenum rebus notis et quotidianis. Eadem vero sententiarum multitudo, quo minus copiosius libri argumentum recenseamus, efficit. Nam si semel illud aggrederemur, nimis forent multa dicenda. Quare summa tantum capita rerum tangemus.

Initio libri Auctor consilium sententiamque suam exponit de commentariis litterariis, quos, vt Taciti annales ciuilis, ita reipublicae litterariae historiam πραγματικὴν complecti debere scribit. Ipsius vero opus fundamentis quasi historiae litterariae niti cupit. Neque enim Criticus solummodo docebit, quousque in litteris progressa sit Germania, quoue progredi possit et debeat, quale sit populi ingenium, quae sit externa litterarum facies, quid illarum florem adhuc impediuerit, augereque in posterum possit, sed ostendet etiam, quae nouae accessiones antiquis additae fuerint, aut quomodo iterum eaedem p. 3 - 18.

 destru-

destructae ab aliis, quantum cuiusque studio pretium statuendum sit, quid de auctoribus ipsis sentiendum, quomodo alius incitandus, alius in viam reducendus sit. [Satisfaceret procul dubio Auctoris votis ille, qui egregium Baconis Verulamii de augmentis scientiarum opus ederet, quidque post Baconis tempora actum fuerit a viris doctis, exponeret.] Huic disputatiunculae addit iudicium de tribus, quos Germania nuper edere coepit, commentariis litte-
p. 19- rariis. — Ipsa pars *prima* libri perti-
180. net ad sermonem nostrum, vbi in vniversum de aetatibus linguarum Auctor loquitur. Nam, vt de puerili aetate nil dicamus, iuuenili aetati poeseos Veneres, virili prosaicae orationis elegantiam, et senili accuratum et grauem Philosophiae sermonem conuenire: quamcunque nationem poesin prius quam prosam excoluisse: et nimis seueram proprii et accurati sermonis custodiam diuitias eripere linguae docet. [Quod ad illam sententiam attinet, Auctor Graeciam tantum respexisse, non Romam recordatus esse videtur. Nam, si sermonis pedestris summa elegantia et vis in Cicerone et aequalibus enituit, poeseos verò

maxima

maxima laus Virgilio, Horatio et aliis debetur, certe Romae successit prosae poesis. Nam de Pacuuio et aliis hic non cogitandum est, quoniam non de primis artium et litterarum initiis, sed de flore illarum Auctor loquitur.] Tum varia, quae ad nostrae linguae naturam, indolem et correctionem spectant, monet: idiotismos, quibus Anglorum scriptores quidam tam apte vsi sunt, illi relinquendos esse ostendit, et de versionibus aliorum auctorum agit. Primum loquitur de Graecis scriptoribus. De felici antiquissimorum poetarum Graeciae versione desperat, ipso quoque hexametro naturae linguae Theotiscae aduersante, et magis nostris commendat historicos Graecos, quibus oratio historicorum colorari queat. Tum transit ad Romanos, magisque Liuio Tacitum Germaniae conuenire putat. Porro comparat linguam nostram cum Francica, et ad Anglos pergit vsumque, quem sermo ex illorum versionibus capiat. Denique recenset principes patriae nostrae scriptores, ita, vt ingenium cuiusque describat et virtutes illius proprias enarret. Laudantur igitur ab Auctore Winkelmannus, Hagedornius, Mose-

Moserus, Spaldingius, Lessingius, Moses, et praeter alios ille, qui nuper in ipso aetatis flore extinctus fuit, Abbtius, — ille, dum viueret, supra, quam verbis exprimi potest, sed non supra, quam ingenium, eruditio, probitas, candor, pietas viri merebantur a me amatus. — Heu dulcis et candida anima! heu amabile pectus? — Vbi solatium inueniam, vbi tui similem? quanquam quid queror? Praeiuisti tantum, o care, ad beatiores sedes, nec longe fortasse abest tempus, quo ad tuos amplexus redeam. Sed de nobis, cras non futuris aut alibi forte futuris, Deus viderit, cui pareamus. Tibi vero bene precemur mortuo, grataque mente ac lingua tuam memoriam prosequamur. —

In *altera* parte quae Auctor docet, huc fere redeunt. Primum de Criticis agit, illorum originem ex ipsa litterarum et naturae indole repetit, munus officiaque pulchre explicat. Tum transit ad carmina popularium nostrorum, in quibus poetas Orientis imitatione exprimere studuerunt. Quem quidem ardorem merito reprehendit ob summam, quae inter naturam rerum, historiam patriam, mythologiam, religionem, et sermo-

ſermonem vtriusque populi eſt, differentiam. Porro dialogo inter Iudaicum doctorem et Chriſtianum intexto, de carmine, quo Meſſiae mortem cecinit Klopſtockius, iudicium ſententiamque ſuam dicit. Quae ſequuntur pertinent ad litterarum Graecarum ſtudium, vbi Auctor quaerit, quantum nos Graecorum ingenia cognita habeamus, eodem loco conſiliis nouo Homeri interpreti datis, et quomodo imitati ſint Graecos Germaniae poetae? Initium fit ab Homero, qui cum Klopſtockio, et aliam rationem ſecuto, et alio tempore viuente, comparari nequit. Sequitur Pindarus, quo multo inferior eſt ille, qui Dithyrambos Theotiſcos ſcripſit, vbi de origine Dithyramborum centum Schmidiis melius rectiusque Auctor diſputat. Feliciſſimus vero Anacreontis et Tyrtaei aemulus, Gleimius, ea laude ornatur, quam dudum cum choro Muſarum Apollo illi lubenter tribuit. Prodit tum Geſnerus, quem Theocrito cedere arbitratur: huic adiungitur Gerſtenbergius, cui non ſatis apte Alciphronem comitem dare videtur, denique Karſchia et Sappho in medium producuntur, cuius nomen illam ſibi immerito vindicaſſe Auctor iudicat.

VII. Ἡ Λογικὴ ἐκ παλαιῶν τε καὶ νεωτέρων συνερανισθεῖσα, ὑπὸ ΕΥΓΕΝΙΟΥ ΔΙΑΚΟΝΟΥ ΤΟΥ ΒΟΥΛΓΑΡΕΩΣ. — ἐκδοθεῖσα σπουδῇ τε καὶ φιλοτίμῳ δαπάνῃ τοῦ ἐλλογιμωτάτου καὶ ἐξοχωτάτου ἐν ἰατροφιλοσόφοις Κυρίου ΘΩΜΑ ΜΑΝΔΑΚΑΣΟΥ, τοῦ ἐκ Καστορίας. Ἐν Λειψίᾳ τῆς Σαξονίας, ἐν τῇ Τυπογραφίᾳ τοῦ Βρεϊτκόπφ. 1766. Alph. 1. pl. 15. 8. Multarum rerum cognitione eruditum huius libri auctorem praeditum esse, ipsi cognouimus eo tempore, quo Ven. *Eugenius* aliquamdiu Halae versabatur. Inde minime miramur, illum non solum dialectices naturam et praecepta recte et luculenter exposuisse, atque praeter sat purum scribendi genus, (licet interdum immiscerit oratio aliquid a sermonis, quo hodie Graeci vtuntur, sordibus) optimorum librorum, cum antiqui tum nostri aeui, cognitionem non vulgarem ostendisse. Bruckeri, Fabricii, Clerici, Lockii, Crusazii, Grauesandi, Cartesii, Leibnitii, Wolfii, Baumeisteri, aliorum nomina viro in Graecia nato vix cognita esse multi fortasse existimabunt. Sed Noster multis exemplis ostendit, se et eorum libros legisse, et examinasse opinio-

opiniones diligenter. Ipsi libro praefixit breuem Philosophiae historiam, quae fata et vicissitudines illius principumque Philosophorum nomina complectitur. (p. 1-45.) Sequitur introductio in vniuersam Philosophiam (p. 46-134.) Hic docet Auctor, quomodo praeparati ad Philosophiae studium accedere debeamus, quomodo in ipso studio versari, errores vitare, veritatem indagare et inuenire. Addita sunt alia de viribus animi nostri, quarum ope res cognoscimus, de natura, partibus et vtilitate Philosophiae. Sequuntur haec prolegomena quaedam, quibus Dialectices origo, natura, vtilitas, explicatur. (p. 135-144.) Ipsam Dialecticen quinque libris complexus est, quorum primo agit de ideis, vbi etiam Philosophorum celeberrimorum sententiae de ideis innatis sat copiose explicantur: altero tradit ea, quae ad explorationem rerum (σκέψιν) ad veritatem et probabilitatem, iudiciumque de vtroque formandum pertinent: tertio de iudiciis sententiam dicit et propositionibus: quartum spectat ad ratiocinia et syllogismos. In horum variis generibus explicandis verbosior profecto fuit

Vir

Vir doctus, quam necesse esset nostra aetate. Neque enim popularibus suis ostendere aut commendare debebat istos laqueos, quibus nostras Academias, quae iam diu se istis nodis nectendis soluendisque delectarunt, tandem se expediturus esse speramus. Vltimo libro de methodo, vt ipse dicit, praecepta tradit. Quid vero per methodum intelligat, ex his verbis apparebit: Μέθοδος ἡμῖν ἐπὶ τοῦ παρόντος ἔστω ἡ ἐν ταῖς καθ' ἐπιστήμην γινομέναις μελέταις εὔλογός τε καὶ πρέπουσα τῶν νοουμένων οἰκονομία, καθ' ἣν ἐν τάξει κατὰ τὸ πρότερον αὐτὰ καὶ ὕστερον μετιόντες τοῦ σκοπουμένου τέλους τῆς γνώσεως ῥαδίως περιγινόμεθα καὶ εὐεπιβόλως. Ὁδὸς γέτοι πρόκειται αὕτη, δι' ἧς εὐπόρουτε καὶ εὐστιβοῦς ἰοῦσιν, ἀπροσκόπως ἔστι χωρεῖν καὶ πρὸς τὸ σπουδαζόμενον τῆς ἐπιστήμης πέρας ἀπλανῶστε καὶ σὺν ἀσφαλείᾳ ἐλαύνειν. Tota viri docti ratione perspecta, illum patriae suae hoc libro scripto non exignam operam praestitisse arbitramur.

VIII. De Romana Republica siue de re militari et ciuili Romanorum ad explicandos scriptores antiquos, auctore

Petro

*Petro Iosepho Cantelio* e Societate Iesu. Editio nouissima, post sextam Lugdunensem a mendis quam plurimis expurgata, aeneis figuris ac duabus Dissertationibus auctior. Neapoli, 1763. e typographia Simoniana. pagg. 428. 8. Cur Cantelianus libellus recusus fuerit, caussam video nullam. Est enim ille nec accurate satis scriptus, nunquam fere veterum scriptorum testimoniis laudatis, nec continet ea, quae nosse interest iuuentutis, Romanam rempubl. cognoscere cupientis. Maior libelli pars complectitur bella a Romanis gesta, quibus narrandis vix expleri potuit auctor. Poterant enim haec omnia sine multo labore compilari. Sed nec hic, nec in Dissertatione III. quae inscribitur: *Mortes illustres*, historicum agere debuit Auctor, verum enarratorem accuratum rituum antiquorum. Dissertatione V. quae complectitur Iurisprudentiam Romanam, nihil potest cogitari ieiunius, nihil tenuius. Procul dubio allicere voluit Editor nouis ornamentis emtores. Inde libellum auxit duabus, vt titulus earum praefert, *Exercitationibus*, quarum altera de praecipuis sacrificiis Romanis, altera de nuptiis eorundem

rundem agitur. Horum libellorum non melior est conditio, quam Cantelliani. Inde huic non poterant comites addi iucundiores. Ne denique aliquid esset, quod hunc librum chartarum vilium turba eximeret, variae additae sunt rerum antiquarum imagines. Nihil his potest turpius cogitari, nihil deterius. Vilissimus Rhyparographus earum auctor esse videtur.

# CONSPECTVS LIBRORVM
## QVORVM CENSVRAE
## *VOLVMINIS IV. PARTE I.*
## CONTINENTVR.



Mémoi-

---

## CORRIGENDA IN VOL. III. P. IV.

p. 369. l. 22. dele, poſt *caede.* p. 383. l. 3. diſtingue poſt *uerſionibus.* p. 387. l. 3. l. *magnam.* p. 394. l. 4. l. *non minus.* p. 413. l. 12. l. *earumque.* p. 416. l. 2. l. *Scioppiique.* p. 442. l. penult. l. *emi* pro *erui.* p. 446. l. 8. l. *addidicerat.* p. 451. l. 3. dele, poſt *ſexugeſimo.* p. 452. l. 6. l. *eo.* pro *ea.* p. 453. l. 25. l. *alios.* p. 469. l. 22. l. *Reimannus* pro *Reimarus.*

# ACTA
# LITTERARIA.

SCRIPSIT

CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*

IVVENAL.

*VOLVMINIS IV. PARS II.*

*ALTENBVRGI*

EX OFFICINA RICHTERIA.

CIↃ IↃ CC LXVII.

[illegible]

## I.

### *Io. Frid. Herelii* Satirae tres.

*Haec ego non credam Venusina digna lucerna?*
*Haec ego non agitem?* Iuuenal.

Altenburgi, ex offic. Richteria, 1767. pagg. 160. 8.

Nullis de libris lubentius sententiam dico, quam de libris amicorum meorum, quos scio dissensum aliorum ferre aequo animo, immo iudicium, licet sit cum reprehensione aliqua coniunctum, quam meras laudes, audire malle. Nam sunt etiam, boni ii viri et multas ob caussas amabiles, qui aut delicatioris fastidii esse videantur, aut quicquid est huius imbecillitatis, exuere atque abiicere nequeant. *Herelium* meum noui, nec elegantissimo viro meus animus incognitus est. Perspexi amoenitatem ingenii, quod in eo

 est,

est, summam venustatemque, atque perpetui litterarum studii assiduaeque veterum auctorum lectionis documenta in manibus habui praeclara et luculenta. Ipsae hae Satirae, eleganti et vere Romano sermone se commendant, atque plurimum Attici salis habent. Inprimis orationi suae non exiguam venustatem conciliauit arte, qua valet, mirifica, veterum poetarum versus longe ad diuersam rem accommodandi, quam ab iis factum est: vt frequenter obseruabunt, qui carmina antiqua legerunt. Quam faceta sunt haec verba: *Vt verus incessu* Doctor *patuit!* (p. 151.) Nempe respexit versum Virgilii?

*Et vera incessu patuit Dea.*

Sed prius quam de Satiris ipsis dicamus, pauca excerpemus e praefatione. Nam illam legenti duriorem amici, praeter voluntatem animumque ad iurgia fori praetorisque tribunal trahendi, lugere aliquoties lubuit sortem. Non iniucundum erit, partem aliquam querelarum, quibus multum inest suauitatis, repetere. „Egone, inquit auctor, „vt molestis litibus, a quibus ita abhor„reo, vt nomen ipsum detester, impe-

„diar,

„ diar, vt poenas alienae stultitiae et
„ morositatis luam, atque aetatis florem,
„ cultum ingenii, veteresque delicias, li-
„ bellos meos, sordido sportularum lu-
„ cro postponam? Tanti nempe fuerit,
„ ignotum cunctis et ignobilem vixisse,
„ ac post fata eadem apud posteros glo-
„ ria, qua fullo aliquis aut cetarius, flo-
„ rere. Dii meliora! Vobis potius,
„ Musae, (neque enim diutius mihi
„ tempero, quin vos quasi praesentes al-
„ loquar) Vobis igitur totum me man-
„ cipo. Vestroque castissimo cultui in
„ perpetuum lubentissimo animo con-
„ secro atque deuoueo. Vos quemad-
„ modum altrices adolescentiae meae
„ fuistis fidissimae, eamque iucunditatem
„ elapsi heu! cito nimis temporis recor-
„ dationi addidistis, qua nescio quid es-
„ se mihi possit dulcius, quamque nulla
„ aetas, scio, ex animo delebit meo,
„ ita mox iuuenilem aetatem, ita viri-
„ lem inexhaustae amoenitatis gratiae-
„ que Vestrae admiratione defixam sem-
„ per teneatis, nec tremula olim senectus
„ his quasi fulcris solatiisque destitua-
„ tur. — Verum hac felicitate non, nisi
„ a patria" (Patriam habet amicus
meus, quam non videtur adeo amare,

vt πατρειδομένιας crimen vnquam sit susceptūrus, *Norinbergam*) „scienctus „plane perfrui potero. Quod si me „igitur illa caussidicorum latibula fors „quaedam sinistra reuisere, ad tempus „saltem, coegerit, hac quidem spe vitae „beatioris, magna ex parte excidam etc." Hoc est illud fatum, quod plerumque optimis ingeniis patriae nostrae nocet et aduersatur. Illi, quibus dulces ante omnia Musae sunt, quique prae aliis nomen Germanorum egregiis scriptis prolaturi essent, ex amplexibus quasi nouem virginum abrepti in curia et foro garrire et ineptire vt incipiant, dura fati necessitate compelluntur. Interim flos amoenissimus ingenii extinguitur.

Primum in hoc libello locum sortita est *Oratio in laudem veterum librariorum, Amstelodami in solenni Criticorum consessu recitata.* Irridetur in hac oratione fastus rerumque minutarum studium, quod in multis Criticis obseruamus: simul agrestes eorundem et rustici mores notantur. Ipsum quidem argumentum nouitatis gratia caret. Quis enim non questus est de Criticorum moribus? quis non acerbitatem eorundem accusauit? Nouitatis tamen speciem Sa-

tirae

tirae conciliare studuit Cl. Auctor, quod, se veteres librarios laudare dum simulat, Criticos ipsos notat. Sed in hac quoque reprehensione nimis vulgaria memini me inuenire, quae non sat attentum animum meum tenerent. Praeterea et in exordio orationis eam irridet dicendi rationem, quae, credo, diu exoleuit, certe exagitata satis fuit ab aliis, et in peroratione (p. 59, 60.) nimis verbosus est. Molestum esse incipit illud, licet optimorum verborum, flumen, nec tam irrigare ingenium quam inundare videtur. Maxime mihi placuerunt, quae (p. 48. sequ.) Auctor de ludis solennibus in librariorum veterum honorem instituendis celebrandisque quotannis caste et religiose statis cerimoniis, dicit. Sunt enim in his legibus multa salse et vrbane dicta. Quod vero seueros homines Cyclopa et Cordacem (p. 55.) saltare iubet, ipse videat, quomodo Critici haec accepturi sint. Interdum sat ingeniose Auctor quaedam tangit, facile quae ille assequetur, qui aut rei litterariae historiam arcanam cognitam habeat, aut ea quae nunc fiunt et scribuntur, curiose considerat. Quis non (p. 14.) facile agnoscit virum,

 „cui

„ cui perparum inest acuminis, ingenii „ indiciique, qui veteres libros ita legit, „ vt praeter formulas imitandas nihil „ eos pulchri aut praeclari continere sibi „ persuaderet, tum qui moribus agresti„ bus et inhumanis conspicuus est, qui „ ferrea diligentia myriadem variarum „ lectionum Graecis quibusdam auctori„ bus alleuit, et *adulescentes audacia ac* „ *pessumos*, scripta haec irridentes, dignis „ ludimagistro" (Thomano) „ conui„ ciis vltus est?" — Delectauit nos etiam Schwarzius, Altorfinus doctor (p. 44.) qui, cum mensam, cui per multos annos assederat, nonnihil abdomine atteruisset, hoc diligentiae suae ligneum monimentum laetabundus hospitibus ostendit. Einsmodi certe in mensa Schwarzianos libros compositos fuisse, semper suspicatus sum. Non caret sale suo alius locus, quem ob dulcem, quam praefert, nequitiam repetemus: (p. 21.) „ Castitatem quo minus in iis (librariis) „ laudem, quaedam me impediunt. „ Nam et homines coelibes, otio plu„ rimo indulgentes, natura stimulis libi„ dinis minime vexari posse saeculorum, „ quibus vixerunt, sapientia bene obser„ vauit, et vobis virgineus, horum pu-

„ dor

„dor nimis magnam aegritudinem attu„lit. Multas lacunas in libris veterum „non lacrumantes adspiceretis, plures „Variantes Lectiones inuestigare liceret, „nisi quidem spurcis et obscoenis *carna„lem* posteritatis *concupiscentiam pasce„re* noluissent homines religiosi, quos „tamen ab istis fere superari videmus, „qui Terentium et Virgilium, ob ni„miam, credo, salacitatem, *Christia„nos* pueris proponunt, quibus libris „quidquid rerum exinde discendarum „venustati, morum felici descriptioni, „sententiarum ponderi et antiquitatis „doctrinae deest, id omne linguae bar„barie et ineptiis feliciter compensatum. „Verum, quod dixi, castitatis laudes „Nostri a me nullas ferent. Quid prae„terea Criticis magnopere cum pudi„citia? Certe Burmannum hic caput „leniter quassantem et versute subriden„tem video." — In imagine (p. 34.) Critici, codicibus inspiciendis intenti negligentisque prae hac voluptate omnia alia, pingenda, optimus Auctor non modum tenuisse videtur. Noui equidem, licere comoediarum et Satirarum scriptori augere, quam errores vitiaque pariunt, formam ridiculam. Sed etiam

 hic

hic certos fines esse scio, neque eo progredi posse credo poetam, vt omnem probabilitatis speciem excedat. Quanquam non nego, *Herslium* meum mihi respondere posse, se minime rem auxisse dixisseque nil aliud, quam quod factum esset. Quibus quid respondeam non habeo. Multa enim quotidie accidunt, quae si ab alio narrata acciperemus, somnia diceremus, nugas et fabulas. — Propero ad alium locum huius orationis, quem non possum non attingere. Nec enim desunt, qui calumnientur eorum studia, qui carminum et orationum praecepta elegantioris Philosophiae ope explicent, qui, cum quae veteres scriptores egregie dixerunt, placeant, ex animi humani natura explicare studeant, qui, quomodo apta interpretatione et lectione sensus venusti et pulchri acuendus iudiciumque nostrum formandum sit, doceant. Immo quidam scriptis testati sunt, hercle! venerabiles illi viri, eruditi, et, si placet, Graeculi, se αἴσθησιν illam venustatis omnino non capere: id est, nihil, praeter formam, se habere hominis simile. — Horum caussa adscribamus pluscula. (p. 41.) „Praeterea tot monstra turba quaedam Criti-

„corum

„ corum nouitia litterarum ſtudiis intu-
„ lit, vt proxime interitura haud obſcuris
„ iudiciis colligamus. Quis patrum no-
„ ſtrorum memoria non maximam in-
„ ſaniae ſpeciem incurriſſet, qui Criti-
„ cum Gallici, Anglici, et Italici ſermo-
„ nis gnarum eſſe voluiſſet? Nonne iſtae
„ linguae ex Latinae triſtibus ruinis emer-
„ ſae, barbarae, incomtae, atque infi-
„ cetae ſunt? Has tamen ſceleſti ſtudioſe
„ addiſcunt, atque adeo e libris recentio-
„ rum, proh qualem audaciam! lucem
„ ſcriptoribus antiquis accendere non
„ erubeſcunt. Hoc

„ *Hoc fonte deriuata clades*
„ *In Criticam Criticosque fluxit.*

„ Hinc ſtolidae et putidae lucunonum
„ iſtorum de ſenſu veri et venuſti nugae,
„ quem iuuenes ne fando quidem, credo,
„ audiuiſtis; hinc futiles de imaginibus
„ fortibus, commouentibus, de pictura,
„ de vmbra, doloribus, affectibus, cha-
„ racterum apta collocatione et ſexcen-
„ tis aliis gerrae, quas bardi, blenni, ſti-
„ pites, barones inſulſiſſimi et inſaniſſimi
„ comminiſcuntur et ex latrina cerebri"
„ (non placet hoc turpius verbum vi-
detur, etiam in Critici ore.) „ febricu-
„ loſi

„losi affatim depromunt. His mon-
„strosa nostrae aetatis et despuenda in-
„doles applaudit: horum scripta emun-
„tur pessimoque exemplo placent. Quid
„nos contra miseri? quo nostra gloria
„in dies recidere videtur? Spissa illa
„Variarum Lectionum volumina iam
„ingrati hominum otiosorum labores
„audiunt: *dissertationes antiquario-*
„*philologicae* de clauibus, de equitibus,
„de fibulis, de matulis, de comissatio-
„nibus Romanorum, quas summa in-
„dustria Viri Cl. congesserunt, me-
„diocris ingenii foetus appellantur."
Non poterat Auctor melius describere
corruptam quorundam et peruersam ho-
minum, quibus nil placet, quod non
a Pitisci fonte deriuatum sit, quod non
centum librorum titulis oneratum, iu-
dicandi de litteris et ingeniis rationem.
Sed vix iidem attingent Herelianum
librum, quem solius ingenii et elegan-
tiae, non obscurae diligentiae laudem
speciemque praeferre animaduertent.

Sequitur *de statu litterario reipublicae Moropolitanae litterario ad amicum Epistola*, quae nobis adeo placuit, vt aliquoties auctorem, quasi praesentem, complecteremur. Tam lepide enim et fa-

cete

cere ciuium illius reip. mores pinguntur, tam falfe multa irridentur, ut ipsa, quae Satyris praeest, Dea, certe nouem Musarum vna, haec scribenti auctori adstitisse verbaque dictasse videatur. Quae vero sit illa ciuitas aut quo nomine appelletur, nolo equidem dicere. Tranquille, quantumcunque restat vitae, id omne agere volo, nec libet irritabile hominum genus prouocare. Forte assequentur nomen vrbis coniectura, qui recordentur locum, quem supra e praefatione attulimus, considerentque alium, quem statim addemus. „Acerbiora sunt, dicit ipse „Vir Cl. quae in epistolis scripsi, ac „vereor, ne plus irarum interdum „quam sannae habeant. Scilicet nihil „vnquam turpius mihi, intolerabilius„que visum est his, qui, litteras ex lu„cro aut popelli iudicio vnice aestiman„tes, cultiorum disciplinarum, quas odio „accerrimo habent, rudes prorsus nihil, „nisi quod ad questum faciat, callent; „nihilominus tamen vanissimis, quos „Academiae vendunt", (caue tibi, o charum caput, a Klotzio tuo! nosti illum quoque Satiras olim scripsisse) „honoribus mirum in modum elati sa„pientis-

„pientissimi haberi postulant aliosque „magno fastu contemnunt. — Atque „vtinam nunquam mihi imposita fuisset „necessitas, inter eiusmodi homines pri„mos annos exigendi, nunquam in ea „ciuitate viuere coactus fuissem, in qua „de foedo et incredibili plane solidioris „doctrinae despectu, quem ciues omnes „prae se ferunt, vix quidquam fingere „queas tam ridicule, quin re ipsa su„peretur. Equidem in magna felici„tatis meae parte repono, quod iam „seiunctus longe ab his oris viuere pos„sum, tum demum beatissimum me „iudicaturus, si id mihi prospera fata „concederent, vt pedem in moenia, „damnata stupore, nunquam referre „adigerer, nec mores ciuium, ambitio„nis insuauitatisque plenos, denuo expe„riri." Haec verba ideo repetiimus, quia commentarii loco esse possunt, cuius ope multa nobis clariora fiunt. Nos vero contra consuetudinem nostram plura ex epistola ea excerpemus, quia ingenium scriptoris mirifice placet. Nos vero iisdem verbis vtemur, quibus ipse auctor amicum ad legendam epistolam inuitauit: „Ante tamen, suadeo, rugas, „quas in frontem coegisti, remitte. - Ni-

„hil

„hil hic quod seuero vultu legisse prae„stet, inuenies. Quin tu potius hilari „contemtu miserae gentis barbariem ex „me cognosce, et tunc, digna enim „res est,

„*Ingemina tremulos naso crispante cachinnos.*"

Tum ipsam vrbem describit. Moropolin narrat, olim vt artifices, ingenio et arte claros, ita viros in quauis disciplina eruditissimos produxisse. Sed fatis voluentibus sensim omnia in peius mutata fuisse. Antea, cum nondum mansuetiores litteras callere piaculum esset, nondum, qui Graecos libros euoluere didicerat, ridiculus paedagogus vocaretur, eruditos huius ciuitatis in Apollinis Musarumque fide fuisse. „Mox „vero, pergit, cultus iste abrogatus ta„cito consensu, numen peregrinum loco „auitorum inductum est. — Tunc no„men etiam ciuitatis (*Musopolin* fuisse „ferunt) mutare placuit, ne vel sic in„gratorum numinum inuiti saepius ad„monerentur. Arrisit nouum: *Moro*„*polis*. nec iniuria. — Quem vero „Deum nostros tali honore dignum cen„suisse autumas? — *Stupor* est, vete„ribus

„ribus prorsus ignotus, nunc multis „gentibus sanctus et verendus, despe„ctus fere nullis. Cuius de diuinitate „minime quenquam dubitare sinit in„credibilis celeritas, qua Moropolita„norum animos sibi deuinxit: ipse enim „Liber pater, huic si conferatur, multo „tardius Indos edomuit. Hinc et au„gustissimum ei templum posuerunt, „et pompam quotannis solemnem du„cunt pulminarque struunt. In medio „sedet ipse ingens, vultu hilari, buccis „inflatis, lingua decenter paullum su„pra labia turgida eminenti, oculis non„nihil conniuentibus. Venter popa „omento tremit: dextra trullam, per„nam sinistra tenet. Veste indutus est „coccinea, caput denso capillamento, „pulchre crispo, superbit. In ipso sa„crario suspensae sunt imagines mysta„rum dei fidissimorum, quorum vt „quisque stupiditate per vitam fuit prae„stantior ad aram collocatur propius." Quale exemplum in effigie Stuporis effingenda ante oculos habuerit Auctor, nescio. Sed quid ille dicere voluerit, scio. Certe meminimus videre non multum dissimiles huic imagini mortales. Sed eo redeo. Illius igitur Dei fauore

quo-

quomodo digni reddantur Moropolitani, verbose narrat Auctor adeoque totam educationis, qua isti fruuntur, rationem explicat. Quae quidem praeterimus. Sed quidni repetamus, quae Moropolitanos suos in Academiis agere quosque inde fructus referre dicit? „ Tres, ait, an„ nos sic operatos studiis, interdum etiam „ maturius, in patriam reuocant, (paren„ tes perillustres) puellam locupletem „ connubio iuncturi aut munere quodam „ opimo mactaturi. Ne quis vero re„ versos minus ad id dextre obeundum „ valere doctrina prudentiaque arbitre„ tur, mystico quodam ante titulo quasi „ muniantur necesse est. Hoc vel infi„ mae notae caussidicum destitui nefas „ habetur. Olim non nisi graues viros „ et longo rerum vsu conspicuos, eo fuis„ se ornatos aiunt: nunc aere modico „ quemlibet emtorem sequitur. Sanxit „ maiorum superstitio, ne quis hoc ho„ nore insigniatur, priusquam libellum „ de quibusdam ad scientiam, quam „ colit, pertinentibus conscripserit, quem „ mox publice, contradicentibus aliis, „ defendat, molestissima nostris lege, „ nisi dudum astute, quo pacto hanc „ prouidentiam eluderent, reperissent.

„Magistrum prae aliis dilectum adeunt, „rogant, ne ipsis hac quoque in parte „desit, nummos denique, quod caput id „est, aliquot afferunt aureos. Annuit „ille, et libellum conscribit, rogatus „verba etiam, quae defensurus pro„ferre debet, singula schedulae inscripta „amico eruditissimo non inuidet. Quid „plura? . . . . . . . . . . .

— — — „ἄνδρες
„Καλὸν ἐθεάζοντες ἀμοιβαδὶς ἄλλοθεν ἄλλος
„Νεκάρσ᾽ ἐπέεσσι.

„Quibus clara et distincta voce recitatis, „praeconiis cumulati amplissimis, ma„tris prae gaudio lacrimantis vlnis red„duntur." Amo te, mi Hereli, amo te vehementer ob hunc locum. Eadem enim semper fuit mea sententia de venali quorundam titulorum vanitate, quam me irridere clanculum ipse nosti. Quid vero agamus? Audiuisti procul dubio, quid responderit nescio quis, Erfordiae credo: *Sumimus pecuniam* — caetera nemo ignorat.

Sed peregrinantes quoque ostendit nobis Auctor iuuenes suos, mox eosdem in patriam redeuntes comitatur, quidque deinde ibi agant, obseruat. Vbi

sane

sane multa occurrunt, quae non vbique locorum accidunt, sed quae tamen alicubi fieri Herelio meo credo. Ipse auctor haec omnia liberrime persequitur, licet Moropolitanos non facile se irrideri pati ipse aliquoties dicat (p. 114.) Locus memorabilis occurrit (p. 115.) cuius illustrationem ex ipsis his Actis peti posse et debere video. Sed quidquam nunc addere non lubet.

Venio ad Satiram tertiam, quae inscribitur: *Epistola ICti Moropolitani ad filium in Academia commorantem in Latinum sermonem translata.* Qua quidem in Satira idem Auctori nostro propositum fuit, quod in priori. Pater ille, qui hanc epistolam scripsisse fingitur, appellatur *Anselmus a Turre cannabina, Iuris vtriusque Doctor et Perillustris Reipublicae Nostrae Consiliarius, nec non plurimarum Societatum, cum Latinarum, tum Teutonicarum Membrum Honorarium.* Hic igitur vir amplissimus librum a filio accepit Criticum, cum in conuiuio iucunde diem ageret. quo prodigio valde perterritus, (nam totum quoque conuiuium perturbatum fuit,) hanc epistolam ad filium scribit, eumque ad Iurisprudentiae lucrosae se-

verum studium adhortatur. Omnia colligit, quae deterrere possint filium ab isto litterarum amore, quae familiae debeat splendori et antiquitati narrat pater atque inprimis inculcat ea: *Non fies tamen I. V. D. et Perill. Reipubl. nostrae Consiliarius.* Nec omittit quidquam eorum, quibus felicitas hominum quibusdam in vrbibus censetur. „Quam „magnifico, inquit, cultu et paene dixe„rim regali in publicum procedimus? „Quae capillamenta vertices nostros „consultissimos muniunt? In quouis cin„cinno *Casum in terminis* nidum fecisse „iures." Etiam, quomodo Doctoris titulum sibi comparare debeat filius, bonus pater docet, eadem arte et via in summum prouectus honorum fastigium; Quem locum, quia bellus est, repetimus totum. (p. 153.) „*Gradum* autem, „scribit, finitis his scholis non nisi in „Academia ** *ina* te *assumere* volo: „Nam et ego et auus beatus tuus ibi „*promouimus* et nusquam minoris *pri*„*uilegia doctoralia* prostant. Multis „praeterea caerimoniis antiquissimis il„lic inaugurabere, quarum in Acade„mia nouitia, vbi nunc degis, nec ve„stigium occurrere narrant. His te ca-

„rere

„ rere non patior, ne forte amici mei
„ vitio te creatum Doctorem, *bullati*
„ ſimilem, ſuſpicentur. Quid? quod
„ auia *piae memoriae* tibi annulum au-
„ reum legauit, quicum *ſpectatiſſimus*
„ *Dominus Decanus* poſt oſculum, pi-
„ leum, librum apertum & clauſum,
„ Iurisprudentiam rite tibi deſpondeat,
„ cuius adeo ſupremae voluntati ſine in-
„ ſigni ſcelere refragari non potes. Li-
„ bellum ipſe vt conſcribas non placet,
„ Nec ego nec auus tuus beatus (quid
„ enim negem?) noſtros conſarcinaui-
„ mus, et velle te ſapientiorem nobis
„ videri nefas eſt. Commode hunc ab
„ aliquo profeſſore famelico emere po-
„ teris, qui lubentiſſime tibi *ſpecimen*
„ quoddam, mediocri pretio, ſuggeret.
„ Ego quatuor plagulas duobus aureis re-
„ demi, quia callidus adibam magiſtrum
„ pauperrimum, cui tunc forte vxor
„ gemellos pepererat. Hanc autem,
„ quo celerius fias *Perill. Reipubl. no-*
„ *ſtrae Conſiliarius*, formis exſcribi cura-
„ bis quam nitidiſſime, religarique charta
„ aurata, ac diuinis additis elogiis, primo-
„ ribus ciuitatis dedicabis *ſeruorum ho-*
„ *minum humillimus etiam ad cineres, atque*
„ *ſupremum usque vitae halitum deuo-*

 „ *tiſſimus*

„*tissimus cliens, Auctor Respondens*, mox
„etiam redux factus, vicatim discur-
„rens, cuilibet reuerenter offeres. Sed
„de his plura coram. Tu modo, quam
„primum fieri poterit, *summos in vtro-*
„*que iure honores* strenue capessere me-
„mento.

„*Requies ea certa laborum*"

„dicit Horatius in oda sua, ne me in
„his *parergis* hospitem credas." —
Haec sufficient ad ingenium festiuissimi
auctoris declarandum. — Quod si vero
ex me quaesiuisses, mi Hereli, ante-
quam ederes hunc libellum, quid ego
existimarem de ingenio tuo, de Satiris
tuis, laudassem profecto genus scribendi
facetum, salesque et vrbanitatem miri-
ficam. Sed addidissem hercle his lau-
dibus illud: *Quiescas!*

H. *Ne faciam, inquis*
*Omnino versus?* K. *Aio.*

Neque enim quisque facile sua irrideri
vitia patitur. atque etiam videris mihi
prouocasse quosdam, qui quomodo te-
cum acturi sint, tempus docebit. Sed
quia huius quaerelae tempus abiit, teque
semel, quos reuocare non licet, edi-
disti libellos, dicam certe opinionem

meam futuraque tibi fata pandam. Laudabitur tuum ingenium ab omnibus, qui recte de his litteris iudicant: legetur tuus libellus a quam plurimis, qui se hac lectione delectatos fuisse fatebuntur: quid tum? *nunquam tamen fies I. V. D. et Perillustris Reipublicae Consiliarius!*

---

## II.

*De Historia naturali Veterum libellus primus auctore* Iohanne Beckmanno.

Petropoli et Gottingae, impens. Dieterichianis, 1766. plagg. 16. 8.

Non parum laetati sumus Viri Cl. consilio, historiam veterum naturalem explicandi diligentius atque hoc doctrinae antiquae caput illustrandi ingenio et doctrina. Licet enim minime illi assentiamur scribenti: „si horum libros, qui alteri philologiae parti, „quam profanam vocant, operam navant, euoluamus, videmus eos anno„tationibus quidem criticis variisque „lectionibus refertos atque ornatos; at „*nullum* inter eos offendimus, qui vel *Prol.* p. 13.

 „Home-

„Homerum, vel Aristotelem, vel Plinium, vel Dioscoridem, vel Aelianum, vel auctores rusticos, vel alium quenquam cum receptiorum historiae naturalis doctoribus contulisset" (neque enim Morgagnio, Platnero, Trillero, Martynio, Anglo, aliis haec laus neganda est) fatemur tamen, multa esse historiae huius capita, quae maiorem lucem desiderent, alia dubia videri, obscura alia et incredibilia. Neque etiam ad illud opus perficiendum Auctori deesse videtur aut studium aut aliqua eruditionis copia, quantum ex hoc libro intelligimus. Interdum enim optimorum librorum non vulgarem cognitionem animaduertimus veterumque, quorum scripta huc pertinent, auctorum lectionem diuturnam obseruauimus lubenter. Praeterea non in Plinio solo habitat aut Aristotele, sed cognouit quoque Vir Cl. ea, quae recentiori aetate a viris doctis collecta et exposita fuerunt, immo, ut multa libelli loca ostendunt, ipse complura curiose considerauit examinauitque. Quare vehementer illum adhortamur, ut perget inchoatam telam pertexere, atque reliquas historiae naturalis partes eodem modo explicet. Ali-

quoties,

gnoties, ne quid dissimulemus, displicuit nobis valde orationis, quo vtitur, genus, barbarum saepe, soloecum, parum Latinum, vitiosum. Merito enim ab eo, qui res antiquas sibi tractandas sumit veterumque auctorum interpretationem aggreditur, talem orationem postulamus, qualis decet diligentem Latinorum scriptorum lectorem. Noluimus, quam vere haec in Auctore reprehendamus, exemplis ostendere. Quisque haec facile obseruabit, quorum tamen bonam partem operarum festinationi aut imperitiae deberi putamus. Praeterea non omnino probatur nobis, quod in Auctore obseruauimus, partium studium. Nimis enim fauere videtur veterum famae, nec tam, quo progressi sint in historia naturali, exponere, quam vbique laudes illorum celebrare, quaeque huic consilio inseruiant, studiose colligere omnia. Hic libellus vnum tantummodo historiae naturalis caput complectitur, animalium historiam. quam se ideo exposuisse scribit, „vt non solum philologi sed etiam „physici videant, operae omnino pretium esse, quae veteres, Graeci nimirum et Latini de animantibus memoriae prodiderunt, adire, legere, dili- p. 18.

 „genter-

„ genterque rimari." Quam quidem doctrinam potuisset Vir Cl. multo luculentius et fortasse certius exponere, si consuluisset antiquos nummos, in quibus multiplex animalium forma apparet, aut legisset ea, quae ex nummis de hac historiae naturalis parte collegit explicuitque Spanhemius in immortali opere. Quem librum non sine causa sibi commendatum a nobis esse animadvertet Vir Cl. forte novam huius libelli editionem alio tempore adornaturus. Sed agamus de libro ipso.

p. 19. In *cap. I.* agit Vir Cl. *de ortu et progressu Zoologiae apud veteres.* Originem Zoologiae derivat a vita pastoricia reque pecuaria, cuius curam etiam principes viri susceperunt. Incrementa vero isti inprimis attulisse putat venationem, quam qui feliciter exercere cuperet, illum vestigia animalium, latibula, pastum, tempus, quo coeant et pariant, catulosque educandi rationem discere debuisse. [Herculem, Theseum, Iasonem, alios non puto sibi famam con-
p. 23. ciliasse, quia *callidi felicesque venatores fuerint*, sed quia noxiis bestiis aut monstris terram liberaverint] tum luxuriam, quae ex exteris remotissimisque

regioni-

regionibus animalia arcessiuerit, Romaeque inprimis viguerit, vbi viuaria varia constructa, [crederem hoc, nisi gulae potius Romanos seruiisse pateret, in peregrinis piscibus aduehendis quam naturae studio]: porro cupiditatem hominum rerum nouarum, quae Romanos impulerit ad arcessenda peregrina animalia, leones, elephantos, Crocodilos, alia, quae Auctor diligenter recenset: [non memini, me legere, quenquam naturae studiosum haec animalia curiose examinasse, contra de his omnibus fabulas legimus proditas multas.] Bellum quoque profuisse dicit huic studio, vt illud, quod Alexander Indiae intulit. Qui etiam bella gesta descripserint, vt Caesar, plerumque animalia commemorasse. [Locum hunc non assequimur: *poetas aeque ac pictores oportet naturam imitari, cuius vero admirabilis pulchritudo parum in vrbe Ouidio poterat innotescere. Tum autem exul — in Ponto — non poterat non admirari rerum naturam.* Quae ex Ponto scripsit carmina Ouidius, non spirant admirationem aut laudem naturae, qualis ibi erat. Tristem potius illius regionis et tempestatum faciem praeferunt. Metamor- p. 52.

tamor-

tamorphoseon libri et alia sollertiorem naturae iucundioris spectatorem ostendunt.] Refert huc etiam Auctor mercaturam atque vanam superstitionem, quae in auguriis et haruspiciniis versabatur. [Sed nunquam mihi persuaderi patiar, *Haruspices primos et summos fuisse ornithologos.* Concederem auctori aliquid, si tantummodo tempestatum futurarum auguria cepissent veteres ex auibus, quae aiunt non obscura imminentis pluuiae tempestatisque signa edere. Sed quis credat, qui augures reliqua quoque ex auium cantu volatuque diuinasse contenderet, qui legerit, quam vana tota illa scientia et inanis fuerit, eos aliquam naturae cognitionem habuisse? Haruspices quod dicit *primos anatomiam excoluisse et effecisse*, non accurate rem perpendisse videtur. Laniis eodem iure haec laus tribui potest. Quid enim illi scrutabantur in extis? Profecto non ita, vt sapientes viros decet, illa inspexerunt. Quis credat, sacrificulos istos et monachos, qui patrum memoria de spectris redituque animarum post mortem in vitam semper loquebantur, geniorum animorumque scientia excelluisse? Idem fuit auguribus et haruspicibus propositum,

tum; quod illis. Nil spectabant aliud,
quam ut fallerent popellum. Non di-
cam, longe antiquiorem melioremque
originem tribuendam esse Anatomes stu-
dio (*).] Profuerunt etiam Zoologiae
pictores. [Hoc loco dum *nullam pin-* p. 73.
*gendi artem fuisse ante seculum Alexan-*
*dri M.* dicit graviter errat Auctor. Me-
liora discere potest ex plurimis libris.]
Transit tum Auctor ad Philosophos, qui,
quae de animalium historia nota essent,
collegerunt, disposuerunt, et explicue-
runt: e quibus laudantur inprimis Aristo-
teles et praeter alios Apuleius. Addit
quaedam de scientia naturae, quam in an-
tiquis multo maiorem esse dicit, quam
vulgo existimetur. [Quid sibi illa ve- p. 86.
lint: *Hieroglyphica Aegyptiorum pro-*
*bant optime eorum in observandis anima-*
*libus diligentiam*, non capio, nec ipse
Auctor mentem suam luculentius expo-
suit.] Sub finem capitis summam quasi
cogitationum facit, et comparatione in-
stituta eorum, quae nostrae aetatis ho-
minibus in naturae studio prosunt, cum
iis, quibus veteres usi sunt, subsidiis,
hanc

(*) conf. van Leempoel *Specim. de Anatom. Orig. et progress.* p. 58. sequ. et Hart-
manni *Origin. Anatom.* c. 6.

p. 88. Hanc sententiam addit: „Quod si autem
„veterum in historia naturali studium
„cuidam non satis effecisse videtur, is
„cogitet quaeso, paruam modo orbis ter-
„rarum partem iis fuisse notam: pere-
„grinationes multo olim, quam hodie,
„difficiliores, molestiores, atque ideo
„rariores fuisse: multa animalia capere
„vel necare, vel propter ipsorum vel
„propter loci natalis religionem nefas
„fuisse: nos e contrario multorum ani-
„malium notitiam debere microscopiis,
„quibus carebant veteres, nostra aetate
„vbique fere terrarum viros doctos esse,
„qui facile ciuibus notitiam rerum, quas
„nouas reperiunt, impertiunt, com-
„municantque cum viris eruditis: quin
„etiam societates, quas scientiarum vo-
„cant, historiam naturalem augere, ex-
„plicare, ornare, hodie studere: no-
„strates frui accurata et commoda
„omnium rerum, quae nota sunt, dispo-
„sitione, frui et picturis rerum, quas
„videre ipsas raro contingit. Quae qui
„cogitat, is haud dubie satis veterum
„studium effecisse confiteatur necesse
„est." [Toto in capite non satis at-
tendisse videtur Auctor, multum dif-
ferre accuratam rei alicuius scientiam

a qualicunque et vulgari eiusdem cognitione.]

In *cap. II.* exponit Vir Cl. *de ratione, qua veteres in conscribenda historia naturali vsi sunt.* Defendit veteres contra eos, qui illis ἀταξίαν quandam obiiciunt, eosque dum res modo collegerint, magis de rerum singularum accurata descriptione, quam de ordine operis sollicitos fuisse addit. Inprimis ostendit, Plinium, Aristotelem, alios potuisse quidem, sed noluisse eum ordinem, qui hodie scriptoribus historiae naturalis probatur, seruare. Tum ad ipsos descriptiones animalium a veteribus datas progreditur. Differentias omnium inprimis membrorum ab iis notatas fuisse laudat. — Occurrunt in hoc capite multa bona, quorum lectionem commendamus iis, qui, qua ratione veteres in explicanda natura vsi sint, intelligere cupiant. Quomodo vero fieri potuit, vt, qui veteres tam diligenter legisse videatur, tantam orationis barbariem amaret? p. 89.

*Cap. III. fabulas* complectitur, *quae in historia naturali veterum occurrunt.* Multa dicit Auctor veteres sola fama cognita retulisse, quum hodie accuratas p. 118.

rerum

rerum imagines haberi possint: mandasse eosdem omnia memoriae diligenter eo consilio, vt, qui in rem ipsam incideret, examinaret eam: saepe, quae ipsi falsa censuerint, exposuisse, ne quidquam eorum, quae ad rem propositam pertinerent, praeteriisse viderentur: recentiores ergo veteres iniquiores eorum fabulas nouis accessionibus auxisse: quasdam res ab antiquis relatas falsas existimatas fuisse a recentioribus immerito. Hoc illustratur exemplo rhinocerotis, cui duo cornua quidam ex antiquis tribuunt. Quasdam pergit veterum narrationes, olim tanquam falsas reiectas, nunc minus videri a veritate abhorrere viris doctis. Nec tamen negat complures fabulas veterum historiae naturali, Zoologiae inprimis, inesse: has fabulas ortas esse putat inde, quia, quae veteres de animalibus peregrinis cognita haberent, ea deberent peregrinatoribus, res, vt fit, augentibus. Non raro etiam membra vel artus animalium quorundam prius innotuerunt, quam ipsa animalia. Hinc hominum ingenia animal, etiam ista tribuentes membra, finxerunt. Error multiplex hinc quoque ortus est, quia in describendis animalibus

animalibus veteres vbique notarunt, quid animal nouum commune haberet cum alio, aut quae huius essent similitudines cum alio, minus ignoto. Veteres sapientiam quandam in multis animalibus quaerebant. Superstitio non paucas fabulas peperit. Forte sententia Auctoris, monstra illa, quae in poetarum carminibus occurrunt, non plane ficta esse, digna est, quae a viris doctis examinetur." „Quid magis, ait, abhorret „a vero, quam fabula de gryphibus et „nihilominus animal sit necesse est, quod „propter corporis molem et insignem „vim primam fabulandi occasionem „dedit, cuiusque deinde historia subin„de nouis accessionibus adeo aucta est. „Quamobrem probabilis videtur Ludolfi „et Kleinii sententia, quibus istae fabu„lae in vulturem, *Cuntur* vulgo dictum, „neque hodie satis notum, conuenire vi„dentur. Neque fabula de Harpyiis, „etsi absurda et ridicula, tamen non „tota ex mendaciis composita est. Vi„dentur enim mihi ista esse, quae ani„malia hodie *Canes volantes* vulgo et „Linnaeo *Vampyri* vocantur.". Optime enim omnia conueniunt etc. [Vix credo. Multas animalium figuras ab antiquis p. 137.

 poetis

poetis excogitatas fuiſſe puto, quibus vi-
tia et ſcelera indicarentur. Tribuerunt
igitur huic monſtro talem figuram, qua-
lem exiſtimabant huic vel illi vitio, cuius
erat ſpecies illud animal, conuenire.]
p. 169. In *cap. IV.* agitur *de collectionibus re-
rum naturalium apud veteres.* [Quod
quidem caput omnium maxime diſpli-
cet. Dicit enim ea Auctor, quae quo-
modo viro erudito et ingenioſo in men-
tem venire potuerint, miramur. Ve-
rum eſt, quod docet, in templis deo-
rum, Herculis inprimis et Dianae, multa,
quae ad animalia pertinent, ſeruata fuiſ-
ſe. nam venatores cornua et dentes apri-
nos diis ſacraſſe legimus. Sed quis ideo
templa dicat fuiſſe quaſi Muſea, natu-
rae opibus ornata? Scio, in templo polli-
cem in dextro pede regis Pyrrhi ſeruatum
fuiſſe. Sed ſi ideo Muſei nomen huic
templo tribuendum eſt, vt Auctor putat,
certe Merſeburgenſe templum, vbi ma-
nus Rudolpho Sueuo in praelio abſciſſa
oſtenditur, eiusdem nominis honorem
p. 175. ſibi vindicabit. Praeterea virum natu-
rae ſtudioſum ineptam fabulam de pelle
draconis, cui Homeri Ilias inſcripta fue-
rit, Conſtantinopoli ſeruato, repetere et
aſſenſu ſuo comprobare potuiſſe miror.]

Melius

Melius placent quae Auctor dicit de ratione, qua veteres in seruandis rebus, quae siccari nequeunt, vsi sint. Docet eos mel, ceram et salem adhibuisse.

In *cap. V.* tradit Auctor *rationem agnoscendi veterum animalia.* Primum ostendit exemplis quibusdam, errasse nonnullos, qui nomina quaedam animalibus tribuerent, quae ad aliud rerum naturalium genus pertinuerint. Alios errare, qui iis nominibus, quibus totum animalium genus appellauerint veteres, indicari putauerint singula animalia. Quaedam animalia multis variisque nominibus a Graecis et Romanis appellata esse: hinc varia animalia quaedam indicari existimasse. Animalia peregrina saepe duo nomina nacta esse, si veteres nomina eorum patria seruare voluerint. quare diligenter videndum esse, an plura alicui nomina fuerint. Porro docet, seruata quoque fuisse nomina Germanica, a Latinis in linguam suam translata: huc pertinere inprimis locum Plinii, vbi dicit anseres in Germania vocari *Gantas.* Patriam quoque, vbi animal aliquod natum dicatur, obseruandam esse: quia hodie plerumque idem in ea regione p. 185

 nasca-

nascatur; vbi tamen erudite exemplis non paucis docet, fuisse olim in quibusdam regionibus animalia, quae nunc ibi plane desiderentur. Praeterimus alia.

p. 224. In *cap. VI.* Vir Cl. *de vtilitate historiae naturalis in philologia* agit. Multa veterum loca non recte intelligi posse ab ignaris historiae naturalis monet, immo ignorantia huius integra loca scriptorum a Criticis praue mutata esse luculento exemplo docet. De emendandis, queque hac parte augendisque Lexicis disputat (*).

p. 229. In ultimo *cap.* enarrat Auctor *vtilitatem, quam naturae historici recentiores ex veterum historia naturali petere possunt.* Quae in historia natura oculis nudis obseruari possint, ea obseruata esse ab antiquis: bestiarum migrationem diligenter esse obseruandam: veteres de multis locutos esse, quae rerum natura ferat, sed quae adhuc latent: multis vsos fuisse rebus veteres ad hominum salutem: earum vsum reuocandum esse in medicinam inprimis.

(*) Huc pertinet I. M. Gesneri disputatio *de nomenclatura Latina ad linguas hodiernas accommodanda* in Parte I. *Act. Soc. Lat. Ienens.*

III.

*Flavi Vegetii Renati*, Comitis, de re militari libri quinque, cum selectis notis Godeschalci Stewechii et Petri Scriuerii, nec non ad codicum manuscriptorum fidem notis perpetuis criticis emendati, addita versione gallica, cura *M. Nicolai Schwebelii*, illustr. Carolini P. P. et R.

Norimbergae; ap. G. N. Raspe, 1767. 4.

Onosandro, quem alio tempore commentariis illustratum copiosis Vir Cl. edidit, comitem nunc addit Vegetium, eadem cura ornatum, comtum politumque. Certe non iniucundum erit hoc munusculum aetatis nostrae hominibus, quorum non pauci antiquorum artem et disciplinam militarem scrutantur, quidam Folardum, Montecuculum, Puysegurium aemulati non infeliciter explicuerunt: quorum, nisi me omnia fallunt, princeps est vir praestantissimus, *Quintus Icilius*, cuius cum multi ingenium admirabile et eruditionem praeclaram admirentur, me quoque amabilis pectoris et candidi, libe-

 ralis,

rans, excuss, amandi plurimas eamius habere laetor. Est vero Vegetiani operis lectio perutilis iuuatque et instruit animum multis praeceptis: id quod etiam iis temporibus homines prae se tulerunt fassique sunt, quibus omnis bonarum litterarum honos iacuit veterumque auctorum contemtus vbique viguit.

Recte vero Vir Cl. nihil prius habuit accurato studio, quod cuicunque interpreti in emendandis auctoris verbis collocandum est. Nam haec si cura negligitur, frustra omnis reliqua opera suscipitur. Illis vero partibus bene peractis, saepe sine interpretis ope lector auctoris sensum assequitur, quem corrupta lectio obscurat.

Primum igitur varias lectiones trium codicum, quos bibliotheca Guelpherbytana habet, nactus est, quas obseruatiimus non parum in emendandis auctoris verbis Viro Cl. profuisse. Illorum primo septingentorum annorum tribuit aetatem, qui illum olim possedit, Marquardus Gudius. Praeterea consuluit diligenter praeclaras editiones, quas Budaeus, Modius, Stewechius, Scriuerius adornauerunt, repetiitque hinc, quae in rem suam esse iudicaret. Notauimus vero

vero non pauca loca longe aliter a Cl. *Schwebelio* nunc edita, quam in aliis editionibus illa adhuc apparuerunt. Nam idonea codicum auctoritate admonitus vulgatam lectionem, quoties illius iudicabat nullam rationem esse habendam, non semel mutauit. exempla notauimus infra (*). Vbique vero exercuit Criticam modestam, nil sine librorum antiquorum auctoritate au[illegible], vt par est et decet, multo vsu fu[illegible]m. Hoc inprimis iis locis intelligitur (**), vbi magna est lectionis varietas, de qua ita sententia dicenda fuit Viro Cl. vt quam optimam iudicaret, quam a Vegetii manu profectam censeret, probe doceret. In hac re profuisse illi videtur inprimis summa, quam cum auctore suo contraxit, quasi familiaritas. Hinc enim genus illius dicendi bene cognouit, hinc formulas orationis, illius proprias, obseruauit diligenter, ideoque, quoties librorum esset varietas, eam formulam elegit, illud verbum posuit, quod intelligebat orationis, quo Vegetius vteretur, generi

 conue-

(*) p. 13. 107. 118. 119. 132. 139. 142. 145. 148. 152.

(**) v. c. p. 140. 164. 169. 170. 171.

conuenire, opinionemque ſuam aptis exemplis confirmauit (*).

Pauca addamus de additis animaduerſionibus. Modii commentarii plane omiſſi ſunt atque ex Stewechii et Scriuerii ea excerpta, quae maximi momenti eſſe viderentur. Quod, vt libere noſtram ſententiam dicamus, nollemus a Viro Cl. factum eſſet. Licet enim Stewechius verboſioribus commentariis Vegetium illuſtrauerit, protulit tamen plurima, quae egregie iuuant antiquarum rerum ſtudioſum, multaque rei militaris antiquae capita praeclare explicuit. Praeterea iamiam rarius occurrit Stewechiana editio, cuius comparandae poſthac neceſſitatem ſi ſuſtuliſſet Vir Cl. duplicem ſuae editioni gratiam conciliaſſet. Sed forte mos gerendus fuit bibliopolae. nam hoc hominum genus, ſolius lucri ſtudioſum, a Latinis libris edendis plerumque abhorret. Ipſius Viri Cl. animaduerſiones Criticae ſunt, vt ſupra diximus, et laudem ingenii, modeſtiae, et eruditionis merentur. Interdum etiam explicuit quaedam, quae lectorem forte morari poſſe indicaret. Huc pertinent quae dicit (p. 32.) de draco-

(*) v. c. p. 21. 24. 63. 166. 169.

draconibus, cohortium signis: de vexillariis legionum (p. 41.): de scholis militaribus: (p. 64.) de Comitibus rei militaris (78.) et aliis alibi. Quarum in rerum explicatione breuis est Auctor ritusque antiquos parce attingit. Atque nobis parsimonia Auctoris magis placuit qualibet prodiga effusione, quae in auctorum de re militari veterum multitudine et facile oritur et aegre compescitur. Quod ad versionem, quae addita est, Franco-Gallicam attinet, prodiit ea Parisiis. Auctor nomen suum non edidit. Sed rem susceptam bene egit, atque versioni suae interdum notulas adspersit, quibus minus perspicua loca explicare conatus est.

---

# IV.

Histoire de l'Esprit humain, ou Memoires secrets & universels de la Republique des lettres par *M. Jean Bapt. de Boyer Marquis d'Argens*, Chambelan de S. Maj. le Roi de Prusse &c.

a Berlin chez Haude & Spener, 1767. T. VII. pagg. 315. T. VIII. p. 659. T. IX. p. 550.

Quod alio loco (*) de his Commentariis libere tulimus, solius veritatis studio moti, certe ea locuti, quae vera et recta esse nobis persuaseramus, iudicii mutandi nunc nullam videmus causam. Sicut enim laudem magnae diligentiae, variaeque doctrinae non illubenter Viro Cl. dedimus, cuius humanitas, animi liberalitas, *φιλανθρωπία*, summam laudem merentur, quae quibuscunque eruditionis praeconiis nobis maior videtur, quamque equidem omnibus aliis titulis praefero, ita nobis notissimarum rerum verbosam explicationem inprimis displicere fassi sumus. Estne

(*) vid. Vol. III. P. III. p. 261. sequ.

Estne difficile, Fabricianis aut Vossianis e libris ea excerpere, quae de antiquorum poetarum et historicorum vitis ibi commemorantur? Immo ne consuluit quidem semper Fabricium Cl. *Dargensius*, contentus La-Mothio, cuius quanta in his litteris sit auctoritas, nescio. Illius sententiae plerumque vnum et item alterum insigniorum auctoris cuiusdam locorum addit, versione, si de Graeco scriptore agitur, et Latina et Gallica adiecta, atque paucis verbis aspersis ad alium scriptorem transit. Magis vero displicuerunt sententiae ex antiquis scriptoribus, e Terentio (Vol. IX. p. 224-241.) e Seneca (p. 257-263.) e Phaedro (p. 359-362.) excerptae, quibus libri magnitudinem facile quidem auxit Vir Cl. sed nec necessariam nec iucundam aut vtilem rem egit. Historiam ingenii humani nobis promiserat Auctor. quis igitur *florilegium* exspectet? Nos nihil fere meminimus occurrere in his auctorum vitis atque censuris, quod non saepius dictum sit, aut non in quam plurimis libellis inueniatur. Quare fortasse Vir Cl. hanc paupertatem compensare studuit diuitiis amplis, quas in animaduersionibus profudit. Euagatur enim

saepe

saepe longe lateque atque plura attingit, cum argumento ipso aliquo modo coniuncta, licet interdum seriem ipsam orationis filumque sententiarum ex oculis animisque amittamus atque etiam ipsa oratio istarum animaduersionum copia iniucunda paullum reddatur. Quare notanda sunt a nobis quocunque in volumine, quae tanquam corollaria ipsi rei, quam tituli capitum praeferunt, addita fuerunt, quia plerumque maioris momenti sunt argumento ipso.

*Volumen VII.* complectitur Historicorum Latinorum censuram. Primum igitur prodeunt ii, quorum scripta temporum hominumque iniuria interiere: sequitur, qui bonam illorum partem temere et fraudulenter restituere ausus est, Annius Viterbiensis: curiosius recensentur Sallustius, Caesar, Liuius, Velleius Paterculus, Curtius, Nepos, Valerius Maximus, Tacitus, Florus, Suetonius, Iustinus. — In Velleio Paterculo Virum Cl. laudare purum et elegans dicendi genus (p. 59.) non miramur. Nam Curtii quoque historiam Augusti aetati tribuit (p. 77.) atque defensionem Valerii Maximi suscipit. (p. 101.) — Suetonium etiam (p. 139.) defendit

distendit contra eos, qui nimiam, qua Imperatorum vitia narrauit, verborum licentiam vituperauerunt. Sed parum quae Vir Cl. dicit, prodesse possunt caussae Suetonii. Poterat Suetonius impudentiam istorum notare, poterat scelera attingere: sed fuitne necesse eorum flagitia orationis turpitudine aequare? Suntne ii historici statim adulatores, suntne ideo indigni hoc nomine appellandi, qui principes vitiis quidem deditos fuisse memoriae produnt, sed a diserta vitiorum descriptione, quae quam tandem vtilitatem habet? abstineat? Turpissimarum libidinum infamia flagrasse Tiberium Suetonio crederemus, si nihil etiam de natantibus pisciculis dixisset (*). — Vitam Horatii aliorumque poetarum quomodo potuit Auctor Suetonio historico tribuere, cum ipsa dicendi ratio huic opinioni aduersetur, vt quisque, comparatione inter vtrumque instituta, intelliget? (p. 145.) — Illis libris recensitis transit Auctor ad historiae Augustae scriptores, ad Aurelium Victorem, Ammianum Marcellinum, Eutropium. Mox attingit interitum litterarum barbariemque omnia

(*) v. Sueton. in Tiber. c. 44.

omnia occupantium, atque ad paullo feliciora tempora delatus, qui post Caroli M. tempora vixerunt, historicos nonnullos recenset. Symmachus, Boetius, Cassiodorus, Petrarcha, Abaelardus breuiter tanguntur. — Vltima voluminis pars pertinet ad historicos recentiores, quorum si quis principes omnes recensitos esse censeat, nae ille vehementer errat. Nam si vel Gallico scriptori (licet in *Dargensio* laudabilem aequitatem vbique obseruemus; etiam vbi de Germanis loquitur) irasci vix liceat, vbi eum Puffendorffium, Grotium, Hahnium, Koehlerum, Mascovium, quorum libri certe non inferiores sunt mendaciis et ineptiis Barii, qui (p. 257.) laudatur, praeteriisse animaduertimus, nullo tamen modo ille silere debebat in historia ingenii humani nomina Gilberti Burneti, Buchanani, Ferrerae, Gregorii Laeti, Larrei, Muratorii, Dalini, quorum exstant illustria monimenta. Plurima pars eorum, quos Auctor recenset, Galli sunt. — Gramondus vehementer reprehenditur (p. 243.) nec ingenii nec candoris laude homini mendaci relicta. Inprimis ostendit Auctor, illum fauisse Iesuitis in Ra-

vaillaci

vafilleci scelere narrando. Risimus paullulum cum legeremus (p. 545.) *Mr. de Zinsendorf dans sa refutation de l'histoire de du Lutheranisme.* Quomodo non distinguere *Seckendorfium* potuit a pio pullorum, suauiter Herrenhuthi pipientium, patre? — Istis historicis adduntur alii, qui regiones, quos in itineribus accesserunt, descripserunt. Agmen claudunt, qui fata religionum persecuti sunt. Sleidanus meritissimis laudibus ab Auctore celebratur. Honorifice idem de ingenio et doctrina Melanchthonis iudicat: Leonem X. auctorem turbarum in Germania fuisse ob veniam peccatorum venditam fatetur et Pauli III. pessimos turpissimosque mores liberrime notat. — Miramur, virum prudentem ridiculam fabulam de initiis inimicitiae, inter Lutherum et Carolostadium ortae, (p. 292.) repetere illiusque probabilitatem defendere potuisse. Quo demum auctore talia narrantur? Excitant risum eiusmodi narratiunculae, sed qui eas nullo idoneo auctore vsus (procul enim dubio illa fabula a pinguibus monachis ficta est. certe eorum ingenium redolet) memoriae prodit, iniuriam facit nomini virorum bonorum, et, quam laudem

laudem ipse pro libertatis, quem vbique ostendit, et aequitatis amore Luthero dabit, praeclare de hominum genere meritorum. — Veritis Caluini crudelitatem et saeuum ingenium, (p. 299.) detestatur, lutulentissime quod supplicio de Serueto misero sumto enituit. — Attigit quoque Hieronymum Pragensem et Ioannem Hussum, monachorum manibus violentis traditum a Sigismundo, qui si ipse superstitione occoecatus aut sanguinis cupiditate accensus fuit, vix hominis meretur nomen, si sacrificulorum clamores extimuit, dignus fuit, cui colum et fusum traderent pro corona et sceptro caputque paullum sandaliis comminuerent sacrae virgines. Haec certe est mea opinio de principe fidem aut pretio violante aut illius honorem sibi alia arte extorqueri patiente. — Hactenus de ipso huius voluminis argumento. Indicabimus reliqua, quae addita fuisse supra iam diximus. Est vero eiusmodi animaduersionum non exiguus numerus. Ostendit (p. 63.) claris exemplis, diu post mortem demum regum exspectandas esse historias rerum, quibus tuto fides haberi queat. — Verbose p. 83. de

Alexan-

Alexandri moribus loquitur, quam primis imperii annis Tito, vltimis Tiberio comparat. Quod vero eundem *iustum* bellum incepisse putat, vix mihi hoc persuadebit. Paullo post (p. 85-90.) longum contexit indicem imperatorum Romanorum, quos puerorum amori deditos fuisse Suetonius scribit: quibus non addendi erant Socrates et Plato. Quidni vero etiam toto hoc indice atro respublica careat? — Humillimae adulationis Gallorum erga Ludouicum XIV. exempla luculenta dantur. (p. 142.) — Longa est disputatio Auctoris (p. 152-162.) de illo loco Iustini vbi de Iudaeis agit. (L. XXXV. c. 2. 3.) Iniuria enim eum vituperari dicit nihilque egisse aliud, quam quod quisque agere debeat. Primam historici legem esse, nihil dicere, quod non a fide dignis auctoribus dictum sit. Iam et Trogum et celeberrimos Graeciae et Latii scriptores commemorasse, Iudaeos diis inuisos, et scabiem passos Aegypto expulsos fuisse (*). Alios

(*) Vbi notamus nec verba Taciti: *plurimi auctores* vertenda fuisse: *Tous les Auteurs*, nec Tacitum Aegyptiorum historicorum mentionem facere, vt Dar-

Alios auctores non potuisse Iustinum consulere, quia nulli fuerint, quia nullam sacrorum librorum cognitionem Romani eo tempore habuerint. Nec, si vel Iustinus eos consulere voluisset, aliud quidquam reperturum eum fuisse, quam fabulas monstrosas. nam tales videri narrationes Mosaicorum librorum non illustrato diuino lumine (*). Porro historicum inter duas opiniones eam eligere debere, cui plurimum insit probabilitatis. Iam quae Iustinus a Trogo acceperit, non posse non homini, sibi solique rationi relicto, multo probabiliora videri iis, quae Moses commemoret. Enarrat igitur multa, quae incredibilia censet, quaeque iam Voltarius ad raucam rauim decantauit. Denique

Dargensius nobis persuadere cupit: *Comment étoit il possible que Justin pût penser différement de Trogue-Pompée & de* tous les Historiens Grecs & Egyptiens, *dont Tacite nous apprend la conformité de sentiment.*

(*) p. 158. *à quoi auroit servi cette lecture s'il n'avoit pu faire usage que de la raison, & s'il n'avoit pas été éclairé par une grace particuliere, qui n'est donnée qu'à ceux à qui Dieu l'a destinée & dont les païens étoient privés?*

nique historicum diffidere debere iis, qui caussas habere potuerint corrumpendae veritatis, quique ab aliis refutati sint, nulla quibus caussa fuerit veritatis celandae. Etiam hanc regulam a Iustino obseruatam fuisse. — Mirabuntur forte nonnulli hanc opinionem Auctoris. Sed ipse nihil illi impietatis inesse profitetur (*). Quam quidem professionem nos accipimus, nec, quia Auctoris ingenio et famae fauemus, inuiti. Sed si ex animi sententia locutus est, si non eo consilio haec protulit, quo plerumque proferri solent, quem potest vsum tota haec disputatio habere? aut quomodo decet virum, religiose tractantem sacrorum scriptorum



(*) p. 156. *Mais, dira-t-on, il faut, que vous conveniez, que Justin s'est trompé dans ce qu'il a dit des Juifs, ou que vous niiez l'autenticité des livres sacrées. A Dieu ne plaise, que je révoque jamais en doute la verité de nos livres saints. Je suis très-convaincu, que Justin s'est trompé; on doit l'excuser, parce que ce n'est par sa faute. Son erreur sert de preuve à un Axiome très-vrai: C'est que hors la Révélation il n'y a rien de certain & que les regles, que nous croyons les plus sures peuvent souvent nous egarer.*

rum libros, ista iocorum leuitas, qua capita quaedam exagitauit, licet longe aliam orationi suae speciem dederit (*)? — Longam legimus (p. 199-208.) narrationem de Imperii Occidentalis ruina et restauratione per Carolum Magnum. Sed quolibet in libello idem legi potest. — Vehementer queritur Auctor (p. 241.) de dissensionibus et cruentis bellis ob religionem inde a tempore primorum Christianorum Imperatorum ortis (**). Quae quidem querelae, quibus

(*) p. 159. *S'il avoit été plus avant, Justin auroit vû les Juifs renversant les murailles de Jerico par le son des trompettes. Et comment persuader ce miracle à un Païen, surtout à un Romain, qui savoit combien les beliers & les catapultes étoient nécessaires pour prendre les places? Que diroit aujourdhui un Prussien, si on l'assuroit que les François ont pris une place en chantant l'Hymne de S. Jean Baptiste? Il est certain que les trompettes auroient paru aussi absurdes à Justin, que l'Hymne le paroitroit aux Prussiens.*

(**) p. 241. *Il est donc certain, & on ne peut le nier, sans nier les verités les plus clares, que les Théologiens ont rendu par leurs disputes sur les Dogmes l'Univers malheureux & que les chretiens ont*

bus multum veri inesse non negamus, et quotidie a nonnullis audiuntur, et Christianae religionis praestantiae nullo modo nocent. — Adspersit quoque passim quae ad viros doctos pertinent. (p. 51.) De Abbate Desfontaines durum iudicium pronunciat: (p. 261.) de inimicitia, inter Humium et Russauium orta, agit. Immo addit quaedam, quae in *historia corporis humani*, non *ingenii*, locum habuissent, vnde de elegantia et venustate hominum, quorum mores vnice amabiles censet Germania, iudicari potest (*).

In *Vol. VIII.* recensentur primo loco poetae Graeci, Homerus, Hesiodus, Anacreon, Pindarus, Sappho, Theocritus, Bion, Moschus, Aeschylus, Sophocles, Euripides, Aristophanes,

 Menan-

*ont commencé à disputer avec fureur sur ces dogmes, dès les premiers moments qu'ils ont pour ainsi dire respiré & qu'ils ont eu quelque pouvoir.*

(*) p. 238. *Il y a quelques années, que lorsque les François vinrent en Saxe pour délivrer (a ce qu'ils disoient) les Saxons de la Tyrannie des Prussiens, ils faisoient leurs ordures sur les autels des Eglises Lutheriennes & dans les Bibles des Ministres.*

Menander, Orpheus, Simonides, Archilochus. — Popium, in Homeri versione Anglicana multa antiquae simplicitatis signa delentem, laudari (p. 11.) non miror. Diuturnam eum optimis auctoribus familiaritatem contraxerit oportet, qui veterum naturalem pulchritudinem recentiorum nitori, oculos ferienti, praeferat. Nec tempus perdere lubet refutanda Auctoris opinione, (p. 12.) eorundem verborum versuumque repetitionem in Homero non ab ipso poeta factam, sed ab iis commissam esse, qui primi illius carmina collegerint et ordinauerint. Qui meliores auctores sequuntur, quam Giphanium, cuius praefatio ieiuna Auctori valde placet, ipsi de his iudicare possunt. — In iudicio ipso de Homero ferendo longa ex Longini et Voltarii libris loca adferuntur. Reliqua omnia vulgaria sunt. — Neque multo nobiliora in sequentibus inuenimus. nisi quod, vbi de Sappho loquitur, cur *mascula* appellata sit (p. 88.) explicat tribadumque dat historiam, quam vix exspectasset quisquam in hoc libro se lecturum esse. — A Virgilio superatum esse Theocritum id est, magistrum a discipulo, quis credet? (p. 95.)

Contra

Contra ea, quae in Aeſchylo notat, quo tamen magis barbarum eſſe putat Shakeſparium, multa dici poſſunt. — De Orpheo loquenti Auctori (p. 170.) memoria excidiſſe videntur Argonautica. Nam hymnos tantum et fragmenta quaedam ſub Orphei nomine circumferri dicit. — His dictis progreditur in theatrum Anglorum, cuius admodum tenuem cognitionem habere videtur. Illi certe, qui de hac re ſcribendi conſilium cepit, Beaumont, Fletcher, Iohnſon, Dryden, Rowe, Thomſon, Lillo, noti eſſe debebant. At horum nomina ne quidem apparent. Nec de iis, quos recenſet bene, iudicat et recte. Quam prauam ſententiam tulit de Shakeſpeario, qui affectus ita in poteſtate ſua habuit, vt nemo magis, qui humani animi omnes motus tenuit, cui ſapientiſſimus quisque locum inter ſumma, quae vnquam natura procreauit ingenia, inter Homeros, Sophocles, Miltonos, Cornelios tribuit! (p. 179.) Lubenter concedimus Viro Cl. regulas, quas Critici fabularum auctori commendant, ſaepe a poeta neglectas eſſe. nam artis hoc opus eſt, et diligentis obſeruationis, non ingenii. Damus iure notata eſſe, quae irridet, vitia in

Hamleto; ſed et ea nil detrahere laudi diuini ingenii reliquae ſcimus, et miramur, quenquam, qui Shakespearium imperantem fere animis lectorum, legit (nemo vero legit, qui non in admirationem et venerationem ſummi ingenii abripiatur) vitiorum potius quorundam leues maculas, quam praeſtantiam maiorum virtutum obſeruaſſe. Sed, vt dixi, non ſat cognita habet praeclara Britanniae ingenia Auctor. Nam nemo alius ita iudicare poteſt, vt ipſe et de *Th. Otway*, quem ipſe (p. 203.) *Outais* appellat, et de reliquis omnibus iudicauit (*). Qui in Hamleto diuinam illam orationem: *Eſſe aut non eſſe* etc. non iis, quibus celebrata fuit, laudibus dignam cenſeat, qui reprehenſiones Cl. Auctoris iuſtas et veras exiſtimet, quique cum eo Catonem Addiſſonii, id eſt, non iniucundum dialogum, de amore patriae et libertate, e Seneca, Lucano, Tacito compoſitum; Shakespearii tragoediis praeferat, illum ego nec magiſtrum habere cupio nec arbitrum ingeniorum. Ne repetimus quidem,

(*) *Les autres poetes, qui ſont venus après Shakespear ont auſſi peu de goût & auſſi peu de décence.*

quidem, quae de comoediis Anglorum dicit. (p. 218.). Nam solos appellat Wicherley et Vanbrugh. (Ipse appellat *Wansbrug*). Hispanorum poetas minus etiam cognouisse videtur. nam vnum appellat Lopez de Vega. (p. 229.) Itali plane omissi sunt. — Eo verbosior est auctor in explicandis vitis librisque aliorum, quos addidit. Sunt vero Timaeus Locrensis, Ocellus Lucanus, Epictetus, Theophrastus, Heliodorus, Longus, Phurnutus, Palaephatus, Aelianus, Eratosthenes, Lucianus, Athenaeus, Sextus Empiricus, Pausanias, Polyaenus, Strabo, Maximus Tyrius, Stobaeus, Themistius. Qui quidem auctores largam praebuerunt Auctori materiem de multis sententiam suam dicendi. Examinat ille (p. 241-310.) veterum Philosophorum sententias de anima, cuius naturam putat sola e scriptura sacra cognosci posse, nec illius ab omni materia seiunctam indolem rationem docere. Hoc loco verbose etiam docere nititur, (p. 253.) veteres ecclesiae Patres corpoream animam hominis existimasse, immo Deo et angelis corpus tribuisse. Multa etiam dicit de migratione animarum, atque hanc opinionem, si solius

 rationis

rationis vocem audiamus, non adeo absurdam esse arbitratur. Illam fuisse prioribus tribus seculis sententiam multorum sanctorum inter Christianos. Profert quoque loca scripturae sacrae, quibus illi ad hanc opinionem probandam vsi sunt. Quibus omnibus subtiliter et operose explicitis, fidem adstringendam esse addit ecclesiae doctrinae. — Editionem Ocelli Lucani, de qua alio tempore nostram sententiam diximus, defendit contra Freronium, (p. 325-329.) atque nos paullum laetati sumus, non legisse Auctorem ea, quae nos olim de illa scripsimus. Nam admodum nobis *Freronii* societas nunc displiceret. — De argumentis, quibus aeternitatem mundi quidam ostendere voluerunt, longus sequitur sermo (p. 332.) nec adeo inepta illa censet (*). Inexspectata nobis fuit, nam profecto non sua sponte se Auctori obtulit, sed paullum quaesitus videtur illius explicandae opportunus locus,

(*) p. 333. *il faut convenir que, dès que l'on n'admet pas la révélation, ce système est plus naturel, & moins sujet à une infinité de difficultés, que ceux des philosophes anciens, qui lui ont donné un commencement.*

locus, disputatio de eo, quod inter Abramum et Saram accidit, cum in Pharaonis aula, tum apud Abimelecum (p. 356-374.) Qua perlecta nihil aliud videmus Auctori propositum fuisse, quam vt Abrahamum, illiusque praeconem Chrysostomum, irrideret, et iocandi liberrime cupiditatem expleret. Verum, si iocandi materies historiae insit, eam dudum exhausit Voltarius. — Vbi de Palaephato agit (p. 397.) non sat accurate distinxit plures huius nominis. — Quod saepe iam dixit, iterum querelis Patrum multisque exemplis datis (*) repetit: Christianos mutuis se caedibus afflixisse, perpetuoque vexationum amori deditos fuisse, ex quo caput erexerit eorum doctrina (p. 437-476.) — Vt Lucianum non Christianum fuisse (p. 425.) ostenderet, vt de auctore dialogi disputaret, qui Philopatris inscribitur (p. 485.) quem

(*) p. 445. *Il seroit difficile sans la soumission, qu'exige la foi, de ne pas concevoir du mépris & même de la haine contre une religion où l'on voit depuis son etablissement jusques au siecles où nous vivons des cruautés, des meurtres, des persécutions & tont d'autres maux, toujours occasionnés sous le prétexte de cette religion.*

quem Lucianum ipse fuisse putat, non opus fuit. Res a Gesnero et multis aliis satis explicita est. Nec opus fuit, de Petro, Paulo, Iohanne, Matthaeo, Marco, Luca, Iacobo agere? (p. 461.) Nam eiusmodi disputationem nemo ab Auctore nostro postulat. Sed perlectis iis, quae dixit, facile video, cur illam susceperit. Nam modo de quorundam scriptorum veritate quosdam dubitasse dicit, modo Matthaei tantum versionem superesse non sine amaro ioco addit (*): modo vtrum Marcus Graeco an Latino sermone scripserit, incertum esse, narrat: modo verbis scriptorum quaedam addita et dempta fuisse ostendere nititur noto Ioannis loco de trinitate, quem ab aliena manu additum fuisse, pauci sunt, qui negent. Finem tandem verbosae disputationi imponit repetitione duriorum Lutheri adversus papam verborum, sententiaque, (p. 484.) quam a Dargensio vix exspectabit

(*) p. 463. *Il ne nous reste qu'une version en grec, dont on ne connoit pas l'auteur. Il n'y a pas de doute, que cette traduction ne doive être fidele, puisque l'Eglise l'a déclarée canonique, n'ayant point l'original.*

ſpectabit quisquam : in tanta opinionum varietate neceſſario requiri iudicem ſummum, nec ſe intelligere, quomodo auctoritas papae a quibusdam reiiciatur. — Fata et vita Tychonis Brahe (p. 628.) enarrantur. — Sed properamus ad finem. Quare nil dicimus de bibliotheca, non magna profecto, quam commendat (p. 641.) aut locis aliis, vt rhetores aiunt, communibus. Pauca tantummodo addimus. Comparationem in hoc Volumine Auctor inſtituit inter antiquos et recentiores (p. 49.) atque in omnibus illos ab his ſuperari dicit, praeterquam in eloquentia. Nos vero, cui Sophocles et Euripides diſplicent, cui immane quantum illis Cornelius et Racinus praeſtare videntur, cui recentiores hiſtorici ſuperiores ſunt antiquis, hac voluptate et perſuaſione frui patiamur. nam talia refutare nefas eſt. Praeterea loquitur de Bellegardio (p. 351.) et quem iam in primo Volumine reprehendit Abbate Des Fontaines. De inimicitiis inter Humium et Rouſſavium ortis iterum agit (p. 548.) atque vt alios praetereamus, de Premontualio : (p. 560.) de quo quam narrat ridiculam hiſtoriam non ſine riſu, vellemus omiſiſſet.

fisset. nil interest posteritatis scire talia. Tacemus alia. nam ipse Brublius, ille, cuius nomini tot libros populares mei inscripserunt, cuius laudes ad astra tulit poetarum turba nuper in patria mea, locum in hoc libro inuenit (*).

*Voluminis noni* pars prima spectat ad poetas Latinos. Primum locum obtinet Virgilius, cuius in vita concinnanda non recoquere debebat ineptias, quas vitae Maronis a Donato scriptae attexuit monachorum stupor (p. 4.). Sequitur Lucanus. vbi Auctor (p. 64.) Tassi carmina epica et Miltoni (p. 75.) recenset et examinat: vita quoque vtriusque narrata. Sed iniquior nobis esse videtur: certe iudicium illius Gallicorum carminum lectione et admiratione corruptum. Quid etiam dixit, quod non centies iam prolatum sit? Certe meliora docere poterit Virum Cl. amicissimus Iacobi, qui Vindicias Tassi scripsit, laudatumque ab Auctore locum Boelaei eleganter examinauit et ingeniose. Reliqui poetae sunt Statius, Lucre-

(*) p. 569. Comte de Brul, *qui sera une preuve éternelle, qu'on peut sans mérite aucun jouer pendant long temps un trés-grand rôle.*

Lucretius, cuius totum carmen recensetur (p. 90.) singulorum librorum argumento exhibito, Lucilius, Horatius, Persius, Iuuenalis, Caecilius, alii, quorum comoediae amissae, Plautus, Terentius, Seneca, Catullus, Tibullus, Propertius, Corn. Gallus, Ouidius, Martialis, Phaedrus, Ausonius, Claudianus. Haec dum explicat, vitam simul hominis, qui Philosophus audire cupiebat, la Metrie exponit, cuius imago ad similitudinem morionis proxime accedit. — Vanos quoque Harduini contra veteres auctores omnemque eruditionem conatus attingit (p. 144.) eorumque originem deriuat a consilio Iesuitarum, Augustini libros, tanquam effictos a Benedictinis, reiiciendi. — Datur etiam (p. 152.) index multorum virorum, Iansenii, Thomasini, Cartesii, aliorum, quos Harduinus tanquam Atheos accusauit. — Delectari Auctor videtur eiusmodi indicibus conficiendis. Nam paullo post recensentur ii, quos Vauassor contumeliose tractauit (p. 189.) — De ingenio scriptis et fatis, matrimonio inprimis Annae Dacieriae agit alio loco (p. 242.) — Dubitationem omnem, quam praefert Auctor (p. 335.)

de

de Medea, tragoedia, eximere illi facile possumus. Nam illa Medea, quam Salmasius et Pirckhaimerus habuerunt, non est Ouidiana illa, cuius Quintilianus mentionem facit, vt Fabricius scripsit, sed est carmen ineptum, aut Cento potius Virgilianus, nuper editum (*). Sed vix credo Virum Cl. diu istorum versuum lectione delectatum iri. — Lubenter legimus (p. 365.) a Gallico scriptore amabilissimi viri, Gellerti, et nostri sermonis laudem (**). Sed iam supra monuimus placere nobis Viri Cl. animum ingenuum et aequum. — Poetis accedunt alii quidam auctores Latini, Petronius, Apuleius, Aulus Gellius. — Hic agit de Bellarmino (p. 404.) cuius opera continere dicit multa, quibus omnia regna euertantur. — Fragmenta Petronio a Nodotio et Carpentario affficta frustra Auctor defendit. (p. 411-415.)

Burman-

(*) v. Burmanni Antholog. Veterum Latin. Epigram. et poemat. p. 149.

(**) *Mr. Gellert — il a écrit dans sa langue, qu'il possede parfaitement, et dont il connoit toutes les beautes. car cette langue en a de très-grandes quand on la sait bien parler & il n'est rien de si ridicule, que le préjugé, que certains François qui l'ignorent ont contre elle.*

Burmannus, Perizonius, alii satis clare docuerunt, sermonis Latini plane imperitum fuisse istorum auctorem, qui saepe etiam vulgaris Grammatices praecepta peccauit. A Petronio (p. 438-480.) transit ad turbas, caedes, omniaque mala, quae superstitio feruorque Theologorum excitauit. Maxime agitur de caede regum, atque tyrannide aulae Romanae, vtramque non solum Iesuitas, quibus parum iucunda lectu erunt, quae Auctor dicit, sed Dominicanos quoque aliosque monachos et olim fouisse, et fouere adhuc. — Tum ad magistratus supremos Galliae (p. 484.) progreditur, quibus obsequii gloriam commendat. — Variorum populorum exemplis ostendit (p. 500.) plurimum olim magiae tribuisse homines, misera superstitione constrictos. — Illis auctoribus addunt recentiores quidam, Aeneas Syluius, Curtius Inghiramus, Alfonsius Ciccarellus, alii, nam vel sola istorum nomina animum perterrent. Placidam illis in vrna quietem et terram leuem optamus, quam eos ad viuos reducere malumus.

## V.

*Dactyliothek, d. i. Sammlung geschnittener Steine der alten aus den vornehmsten Museis in Europa zum Nutzen der schoenen Künste und Künstler in zwey tausend Abdrücken herausgegeben von* Philipp Daniel Lippert. Lipsiae, ex offic. Breitkopfiia, 1767. 4.

Gemmarum ab antiquis artificibus scalptarum quanta sit praestantia, quantaque ab illarum curiosa et docta cum contemplatione tum interpretatione vtilitas percipi possit et debeat ab omnibus, qui aut ipsi egregiis artibus nobilitari velint, aut ingenii poliendi doctrinaeque verae sibi comparandae cupiditate teneantur, norunt, qui humanitatis elegantiaeque antiquitatis studia paullo sollertius plebe eruditas, qua nihil est peius et intolerabilius, curarunt, omnes, eruditissimique viri dudum docuerant.

Nam, quod ad artem ipsam, quae cum lineis censetur, tum opere et manuum dexteritate, quam gemmae praeferunt, attinet, simplicitatem, facili-

tatem; vetustatem linearum in iis quo gnarior quisque fuit artium quoque eruditoribus oculis visus, eo magis admiratus est. Inde miram consensionem totius imaginis atque eurythmiam, vultus honestos, pulchros, dignitatem aliquam spirantes, tum pro argumento egregie affectos ac moratos, status secundum naturam veros et decentes, motus membrorum decoros ac moderatos, capillum et vestem recte compositum, habitus secundum aetates, fortunam et tempora scite attemperatos, laudauit in gemmis antiquis, qui, quae huc pertinerent, scripsit varia, Io. Frid. Christius (*), vir profecto multae et reconditae doctrinae, sed miri ingenii homo, obscurae diligentiae nimis deditus, mysteriis quaerendis semper intentus, praeterea iniucundus, et prope, vt Cicero dixit, *ferreus scriptor*. Deinde est gemmarum antiquarum argumentum tam multiplex et varium, nulla vt fere sit eruditionis liberalioris pars, quae non inde fructum aliquem capiat. Plurima gemmae praeferunt antique de

 diis,

(*) vid. *super signis e quibus manus agnosci antiquae in gemmis possunt annotatio*, quae addita est *Museo Richteriano*.

diis, rebusque divinis, doctrinae capita exhibentque omnem fere historiae fabularis, qua sacrae, qua profanae, ambitum. Harum fabularum ratio ex gemmis non modo multo certius perspicitur, quam ex recentiorum, multo melius, quam ex veterum libris, quia quae oculis subiecta sunt, fortius animum movent, sed etiam discimus inde multa, quorum ab antiquis scriptoribus aut nulla aut subobscura facta est mentio. Praeterea dignos et qui responderent veterum de natura et indole deorum heroumque opinionibus vultus statusque cuique tribuerunt artifices, qui ipsos mores, ipsam mentis indolem in vultu conspiciendam praebuerunt, animoque pingendo et sensibus exprimendis magnam laudem adepti sunt. quae quidem ars plerumque desideratur cum in iis, qui radio in laminis antiqua numina inscripserunt, tum etiam in plerisque caelatoribus et sculptoribus. Quid denique dicam de ingeniosis tot gemmarum argumentis, quorum contemplatio, inprimis si addatur Graecorum et Latinorum, quorum versus quasi lucem saepe a gemmis accipiunt iisdemque vicissim foenerantur, poetarum comparatio, incredibile est, quan-

tum

tum ad ingenium acuendum limandumque, ad sensum veri, et venusti et pulchri animis nostris infundendum poliendumque eundem confert. Sed de his et aliis proxime copiosius agemus. Nam singularem de vsu et praestantia gemmarum antiquarum libellum scribere animus est. Quae quidem cum ita sint, quantas quaeso omnes, qui non omnino humanitatis artiumque videndarum et aestimandarum elegantiae expertes haberi dicique velimus, gratias debemus viro, qui cum gemmarum ipsarum adspiciendarum copia non cuiuis facile sit, suo ingenio, labore, sumtu etiam, perfecit, vt quisque modico aere praeclarissimas Museorum per Europam celeberrimorum opes sibi comparare queat? Est is vir antiquae fidei et priscae integritatis, *Lippertus*, non solum eruditus iis artibus, quibus verus artium et monimentorum arbiter instructus esse debet, sed reconditae quoque doctrinae studiosus multarumque rerum accurata scientia praeditus. Ille ex Museis, quae monimentis antiquis abundant, collegit gemmas aut opere aut argumento nobilissimas, signorumque ex his exempla duxit, massa quadam vsus ad calcis

 purissi-

purissimae candorem accedente. Haec exempla non solum ob virgineum quasi venustumque nitorem placent, sed reddunt quoque fideliter et subtiliter gemmarum signa, atque etiam sulphureorum, qualia in Italia longe maiore pretio veneunt, constantiam et gratiam multum superant. Has igitur gemmas in certos ordines descripsit, atque totam Dactyliothecam, in duas partes divisit, quarum quaeque mille gemmas complectitur. Prima pars ad mythicam doctrinam pertinet et decem classibus absoluitur. In prima classe Saturnus et Iupiter: in altera Neptunus, Pluto, Cybele, Ceres, in tertia Minerua, in quarta Apollo, in quinta Vulcanus, Venus et Mars, in sexta Mercurius, in septima Bacchus cum comitibus suis, in octaua Hercules, in nona Aesculapius, Hygea, Victoria, Fortuna, numina, quibus Virtutes adumbrantur, Abundantia, Castor et Pollux, regionum vrbiumque, quibus diuinitas tributa, imagines, Aurora, Phaethon, Cephalus, Musae, Gratiae, Suadela, Genius, Cupido et Psyche, Osiris, Isis, Serapis aliaque Aegyptiorum numina, tum Sirenes, Harpyiae, Sphinx et Chimaera, collocantur. Decima

classis

classis habet gemmas, in quibus sacrificia ritusque sacri et religiosi apparent. Alterius Partis gemmae, quarum argumenta sunt historica, in classes quatuor distributae sunt. Primum igitur conspiciuntur heroes, qui paullo ante aut statim post bellum Troianum vixerunt; sequuntur homines illustres, Asiae, Africae et inprimis Graeciae, principes, imperatores, legum latores, philosophi, poetae, medici, alii; hos excipiunt Romanorum cum reges, senatores, viri clari, tum Caesares, cum vxoribus et liberis: vltimum locum sortitae sunt gemmae multiplicis argumenti. Huc pertinent militum, ludorum, artium, animalium, symbolorum, vasorum imagines.

Apparebit ex breui, quam dedimus totius Dactyliothecae descriptione, quam varia, quam egregia multiplicis doctrinae copia illa abundet. Intelligetur hinc, nullum esse antiquae eruditionis caput, quod non his gemmis recte adhibitis illustretur optime, nec carere facile posse iis verae doctrinae studiosos. Equidem ego, cui haec scribenti adspicere, tractare et curiose contemplari licet pulcherrima gemmarum exempla,

 suauissi-

suauissimis me intimis sensibus affici profiteor, et integerrimum *Lippertum*, cuius huius voluptatis purissimum sensum debeo, magno me sibi beneficio deuinxisse aio. In aliis admiratus sum summam secundum graphicem linearum subtilitatem, elegantiam, probitatem, gratiam et dignitatem oris, status, gestus, et habitus faciles, decoros, veros, in aliis me delectauit argumenti doctrina, in aliis venustas ingenii poetici, quod in artifice fuisse bellissimae inuentionis exempla docent, mihi placet. Qua quidem voluptate, quae potest esse liberalior, quae iucundior, quae dignior homine ingenuo?

Vt vero eo magis prodesset Vir ingeniosus artium et elegantiarum studiosis, plures eiusdem argumenti eiusdemque formae, sed diuersi operis manuumque diuersarum, gemmas proposuit. Illustre exemplum et suaue praebent gemmae tres (*), quae Ledam cygnum admittentem exhibent eodem habitu, sed ita tamen, vt diuersum manuum ductum obserues. Amabiliorem etiam adspectum praebent gemmae sex (**), in quibus Venus corpore incuruato et tan-

tum

(*) n. 35. 36. 37. (**) n. 259-264.

tum non genubus flexis balneum ingressura omnem vestem pulcherrimique corporis illecebras oculis ostendit. Plura si quis exempla desiderat, aut adspiciat ille Marsyam arbori alligatum (*), aut Herculem Cerberum constringentem (**), aut seminudum Apollinem (***), aliasque gemmas. Deinde etiam acuendorum oculorum ingeniorumque caussa addidit exempla ab archetypo expressa a claris scalptoribus recentioris aetatis. Luculentissima exempla praebent sex gemmae (†), in quibus imitatio apparet gemmae celeberrimae (††), quam Michael Angelus in digito gestavit, quaeque nunc Museum regis Franciae ornat. Valerii Vincentini gemmae (†††) aliquot antiquis additae sunt; in quibus perfectas secundum legem artis lineas manusque dexteritatem animadvertimus, sed rituum antiquorum morumque prisci aevi scientiam desideramus. Placet admirabilis vis, qua Natterus Herculem

 leonem

(*) n. 187. 188. 189. (**) n. 593-96.
(***) 158. 159. 160.
(†) n. 351-56.
(††) *le cachet de Michel-Ange.*
(†††) n. 939. 40. 41. 55. 65.

leonem suffocantem exhibuit (*); quem si summa arte Mineruam galeatam expressisse (**) aut spirantem patrem Iouem Herculis vultum exhibuisse, videmus, proxime ad Graecorum artificum gloriam accessisse virum, cuius de vita alio loco exposuimus, ingeniosissimum, verumque Germaniae ornamentum, profiteamur necesse est. Saepe etiam Nostren indicauit alia antiqua monimenta, numos inprimis, vbi eandem, quam in gemmis obseruauit, speciem conspicimus (***). Quae monimentorum inter se comparatio et alias ob caussas vtilis est, et interpretationem gemmarum saepe iuuat et firmat.

Vtilior vero etiam haec dactyliotheca reddita fuit commentario a Viro erudito addito, cuius titulum supra posuimus. Absoluitur ille duobus voluminibus. Nam quaeque huius Dactyliothecae pars Commentarium adiunctum habet. In hoc illud agit optimus Lippertus, vt primum lapillorum genus indicet et naturam: tum quo in Museo gemma seruetur, addat: porro argumentum illius explicet breuiter et erudite: adspergat etiam, quae illustrandae illi

(*) n. 573. (**) n. 120. (***) n. 533.

illi magis inseruiant ipso opere. Ipse lectorem moneat, denique notet librum et locum, si forte iam exemplum gemmae radio descriptum aeneis tabulis publicatum sit. Inprimis vero collegit aptissima e Graecis et Latinis poetis loca, eaque cuiusque gemmae interpretationi addidit. Qua non solum rei interpretatio gemmarum confirmatur, sed pabulum quoque iucundissimum offertur ingenio, elegantiarum capaci, comparatione inter artificem et poetam instituenda.

Quod ad interpretationes Viri Cl. ipsas attinet, merentur illae non solum perspicuitatis laudem, sed habent quoque ab eruditione et ingenio magnam commendationem. Interdum Vir praestantissimus a sententiis receptis recedit, saepius vero a Christii, qui Latino sermone ante plures annos Lippertianam Dactyliothecam commendare voluit, coactis contortisque interpretationibus, quas ille vbique litterarum secretiorum ostendendarum studio obtrudit lectoribus, dissentit, inprimis sub finem primi voluminis, vbi de sacrificiis agit variis. Possemus multis exemplis ostendere, quam egregie partibus suis functus sit

sit, Vir Cl. sed quoniam ea vix sine genuinarum ipsarum consideratione intelligantur, praeterimus ea silentio. Nec diximus multa de erudita praefatione, in qua Noster inprimis antiquorum artificum rationem rimatur, de qua etiam passim in commentario multa dixit memoratu digna. Illud tamen quisque sibi persuadeat velim, ea probata esse a viro erudito in hoc commentario, quibus multis auctorum veterum locis lux effundatur non exigua, quibus non pauci versus Graecorum et Latinorum poetarum illustrentur et explicentur, quibus quamplurima antiquae doctrinae capita clariora reddantur. Quare neminem fore credimus, qui non lubenter eas Lippertiano nomini nobiscum laudes tribuat, quae copiosae doctrinae, eleganti ingenio, assiduae diligentiae, immo illi animo debeantur, qui non extingui patiatur peruersis hominum studiis, aut paucitate eorum, qui de his recte in Germania iudicent, ardorem eximium, sed contra audentior eat, atque etiam cum rei familiaris detrimento litterarum studia promouere et de aetatis suae ingeniis bene mereri incipiat. Vtinam modo Germania incipiat

pietatisque bona intelligens! Vndique de re scholastica emendanda conciones habentur etiam ab iis, qui peruerse iudicant de litteris: scribuntur de instituenda iuuentute quotidie libri permulti, quorum profecto iam copia laboramus: omnes prope rem vtilissimam omnium consiliis iuuare conantur. Quae vero potest educandae iuuentutis ratio melior inueniri, quae poliendi ingenii via iucundior tutiorque eligi, quam si scholis maioribus Dactyliotheca Lippertiana tradatur a magistratibus, si idoneo praeceptori mandetur, vt illis gemmarum exemplis in historia fabulosa explicanda, in poetis antiquis interpretandis, immo in praeceptis artium litterarumque tradendis vtatur, tanquam luculentissimis et pulcherrimis exemplis, quibus illius doctrina quasi vitam et spiritum accipiat? Hac si ratione iuuentus instituatur (turpe vero profecto est, oblatam a viro docto, efficaci et publici commodo studioso, occasionem negligere, aut parsimonia sordida, aut foeda ignorantia) hac si modo teneri animi ad elegantiam venustatemque sensum, amorem imitationemque formentur et fingantur, eos breui tem-

pore inde patri magistro fructus percipientes, quibus e scholarum novarum (ita eas vocant istas vulgo) disciplinis, quas (dicam enim libere, quod sentio) verae et rectae doctrinae studia statim extinguuntur, licet illas habeant multi, quae etiam sagacem virum alliciant blandaque specie fallunt, nunquam consequetur.

## VI.

**Recherches sur l'origine des découvertes attribuées aux modernes, où l'on démontre que nos plus célèbres Philosophes ont puisé la plûpart de leurs connoissances dans les Ouvrages des Anciens, & que plusieurs vérités importantes sur la religion ont été connûe des Sages du Paganisme.**

à Paris chez la Veuve Duchesne, 1766. T. I. pag. 258. T. II. pagg. 294.

Elegantissimo hoc libro perlecto idem fere nobis accidit, quod evenire solet iis, qui in somniis aut magnas divitias opesque possederant, aut reges sibi visi fuissent et principes. Excitati enim

somno

fomno nihil admodum manibus tenent molestèque ferunt paupertatem, qua premuntur, humilemque, quam nunc magis etiam sentire incipiunt, fortunam. Iam ego, qui nostrae aetatis ingeniis plurimum tribueram, priusquam ad hunc librum legendum accederem, quinque me nunc denique natum esse laetarer, nec amorem antiquitatis inuiderem aliis, disputationibus Viri Cl. cognitis spiritus remitto tacitusque et verecundus, vt solet, qui antea hilaris et elatus cathedram ascenderat, victus loquacioris agrestiorisque aduersarii, Fischeri alicuius; si exemplum hominis petis, clamoribus Philosophiae magister clamantium domum repero, me recipio in angulum, meamque vanitatem ipse irrideo. Ingeniosus enim libri auctor, *Dutenstensius*, nil aliud molitus est, quam vt ostenderet, nihil a recentioribus Philosophis dictum esse, quod non veteres cognouerint; multa eos solis coniectura assecutos esse, quae nos vitrorum ope aliisque subsidiis adiuti inuenerimus, attigisse alios tantum sententias, quibus Leibnitii, Neutoni aliorumque nomina nobilitata fuerunt, alios iisdem eas argumentis confirmasse, quibus nos vtamur.

*Dutens*

mon. Somnium! dicet Criticus ex *Daviesiana* schola; nugae! gerrae! Immo, (nam attingit illa tantum Graecarum literarum quaestio ad Novi Testamenti quamcumque interpretationem requiritur) addet: λῆρος λῆρος! Sed quid? si *Dutensius* eximiis testimoniis opiniones suas firmavit? si idoneis auctorum luculentisque locis ostendit, non augeri a se rem, nec aliud sibi quidquam, quam quod in antiquorum libris legatur? Certe ob hanc caussam vituperandus Auctoris, in quo etiam noxium ab omni partium studio liber, et quem equidem eum dix Gallum esse putamus, ergo nullius populi laudes sequitur, nobis probatur ratio placuit, quia ubique quibus opus habebat, loca adscripsit, accurate verbis auctorum excerptis comparatisque cum opinionibus recentiorum. Hoc modo copiam fecit lectoribus, rem aestimandi eamque necessitatem, veterum sententias de quoque philosophiae capite evolvendi, sustulit, remque omnem in clarissimo loco collocavit. Nos quidem quasi in exigua tabula proponemus breviter, quae per totum librum dispersa non sine voluptate cognovimus. Hac enim modo vel eos, quibus longioris oratio-

orationis lectio molesta est, sed hanc tabulam aspiciendam inuitabimus.

*Prima* pars libri complectitur Logicam et Metaphysicam Cartesii, Mallebranchii, Leibnitii, Lockii, quorum omnes opiniones dudum in libris antiquorum lectas esse docet. Non Cartesius demum, sed longe ante Cartesium Aristoteles veritatis studiosos dubitare, causasque, principia prima et elementa rerum rimari iussit. — Illud argumentum, Ego cogito, ergo sum, iam Augustinus protulit. Originem idearum a sensibus dixit Aristoteles, quaeque de intellectu humano praecepit Lockius, attentae et sollerti Aristotelicarum et Stoicarum sententiarum obseruationi debuit. Ideae innatae Cartesii, Leibnitiique a Platone, Heraclito, Pythagora sumtae sunt. Mallebranchii doctrina de ideis multis displicuit inuisaque fuit. Sed ille nil dixit aliud, quod non Chaldaei de emanantibus e Deo ideis dixerint. Immo Augustinus appellat ideas formas rerum stabiles, aeternas, quae in diuina intelligentia contineantur ipsaque in mente creatoris sint. Denique si consideramus ea, quae de sensu Cartesius et Mallebranchius patres nostros

docuerunt, eadem antiqui Philosophi olim suos docuerunt discipulos.

Pars *altera* spectat ad ea, quae de Physicis et Astronomicis disputauerunt Leibnitius, Buffonius, Needhamus. Atomorum, monadum et infinitae materiae diuisionis vestigia in veterum libris occurrere quis ignorat? Buffonii opiniones de materia vniuersali, generatione et nutritione Anaxagorae opinionibus et Empedoclis similes sunt. Needhami vim naturae motricem non ignorauerunt Pythagoraei. A Spinosa et Hobbesio Eleaticae et Epicureae scholae doctrina renouata fuit. Subtiliter disputauerunt Philosophi nostri de motu, de acceleratione motus, deque grauitate perpetuo nisu versus terrae centrum vrgente, de legibus motus planetarum. Eadem fere omnia antiqui tenuerunt. Iidem viae lacteae, quam etiam galaxiam appellant, naturam non aliter ac Galilaeus descripserunt: plures mundos eosque habitatos esse, sciuerunt. De motu astrorum circa centrum, de motu terrae circa solem, de antipodibus, de cometis, de luna soli lucem suum debente, deque subobscuris lunae partibus, aliis ciues eidem tribuentibus, aliis negantibus,

bus, ita locuti sunt, vt summa sit inter eorum et recentiorum opiniones similitudo. Satellites planetarum Phauorinus sola coniectura assecutus est, et si, quae Pythagoras et Plato de colore et lumine disputauerunt, legimus, Neutonum nil videbimus nouum excogitasse. [Miror, Virum Cl. praeteriisse illam Leibnitii sententiam: duas res omnino similes non inueniri. Nam eandem iam Stoici protulerunt, qui nullum esse pilum dixerunt omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum (*). Quod vero putat, errare, qui Virgilium a Zacharia ob sententiam de Antipodibus damnatum fuisse scribant, eumque ob sententiam de pluribus mundis pontificis iram subiisse arbitratur, Baronium sequitur (**). Sed male. Auentinus claris verbis profitetur (***), illum sententia de Antipodibus defensa molestias eas sibi contraxisse. Nam hoc ita acceptum est, addit, quasi Virgilius alium mundum, alios sub terra homines, alium solem atque lunam esse adsereret.]



(*) v. Ciceron. *Quaest. Acad.* L. IV. c. 17.
(**) in *Annal.* T. IX. ad a. 747.
(***) in *Annal. Boior.* L. III. p. 262.

Plures veterum sententiae de rerum natura recensentur in parte *tertia*. Pertinent illae ad aetheris, ad aeris naturam, ad insitam grauitatem vimque elasticam, ad ignem. Tonitru ex sententia Aristotelis et Neutonii a surgentibus a terra vaporibus ignemque concipientibus: ex Socratis et Cartesii sententia a collisione nubium attrituque oritur. Causas motus terrae, fluxus et refluxus maris, virium magneticarum, non sollertius antiquis cognouere recentiores. Veteres forte etiam acum magneticam habuerunt. Timaeus Locrensis vim electricam attigit. Fluuios occulto itinere e mari ad fontes suos redire, Seneca docuit. Sanguinis in orbem motum ante Haruaeum plurimi obseruauerunt, etiam ille inter pias preces a Christianae doctrinae restauratore, Caluino, vstulatus Seruetus. Tubae Fallopii antiquo aeuo notae. Hoc loco Bernardi commentariolus exhibetur, quo ille docuit non superiores esse in Chirurgia recentiores antiquis: illos nil, quod esset magni momenti, inuentis addidisse, renouatis antiquis meliorique in luce positis. Animalcula semini innatantia, ouulaque foeminae foecundantia non primus

Leven-

Lewenhoeckius animaduertit. Polyporum naturam descripserunt Aristoteles et Augustinus: duplicem in plantis sexum et foeminini fructus foecundationem per puluerem plantae masculinae alii veterum cognouerunt. Pendula horologia antiqui Arabes habuerunt. Doctrina de refractione luminis Ptolemaei aetate fuit nota. Quadratura circuli olim quoque tentata est: Algebra nec veteribus incognita fuit, nec methodus indiuisibilium Cauallerii diuersa est a veterum methodo exhaustionum. Si Archimedis specula vrentia, si machinas reliquas ab ipso compositas recordamur, si machinas veterum bellicas, si aedificia, colossos, aliaque immensa monimenta consideramus, quanta fuerit in illis Mathematicae et artis mechanicae scientia peritiaque, intelligimus. Praeterimus alias veterum de Astronomicis sententias, quas Auctor recenset.

*Quarta* pars continet bonas rectasque opiniones veterum de Deo et diuina natura, de natura animae humanae, de immortalitate et animabus brutorum. Porro comparantur veterum disputationes de tempore et spatio cum opinio-

 nibus

nibus Muſchenbroeckii: quid de creatione mundi illi dixerint, exponitur: optimiſmi, vt aiunt, Leibnitiani ſententiaeque de origine mali veſtigia in Timaeo, Platone, Plutarcho quaeruntur: denique Platonis inprimis in Critia loco memorabili docetur, ſenſiſſe antiquos bene de imbecillitate naturae humanae adhaerente, et prope ad Theologorum de *peccato originali* orationem ſententiamque acceſſiſſe.

Nonne vere dixi, continere hunc librum permulta, quae veterum auctorum legendorum cupiditatem iniiciant animis, immo quae erubeſcere cogant illos, qui non omnem pudorem eiurauerint? Equidem non nego, Auctoris, eruditiſſimi et acutiſſimi viri, rationem ideo non omnino mihi probari, quia in recenſendis veterum et recentiorum opinionibus, inuenta aliqua ſimilitudine, ſtatim hos illis omnem eam ſapientiam debere exiſtimat. id quod etiam omnes prope fecerunt, qui comparationem antiquos inter et recentiores inſtituerunt, Licet enim ſummam vbique videam opinionum et ſententiarum ſimilitudinem, non tamen ſua ſemper recentiores Philoſophos, quorum forte pauci

Graecos

Graecos et Latinos libros attigerunt, ab antiquis petiisse, arbitror, sed aut casu, aut similitudine potius diuinorum ingeniorum in eadem vestigia incurrisse. Interim vtilissima erit cuique huius libri lectio, e quo, si nihil aliud, hoc certe, quod sibi in libro de rerum originibus propositum fuisse Thomam Burnetum dicere (*) memini, homines quidam discent: *neque fungos fuisse maiores nostros, neque nobiscum natam esse sapientiam.*

## VII.

Élémens de Critique, ou Recherches des differentes causes de l'altération des Textes Latins avec les moyens d'en rendre la lecture plus facile; par M. l'Abbé *Morel*, Prêtre du Diocèse d'Auxerre, Auteur de la Dissertation sur l'Ambrosiaster.

à Paris, chez Herissant, 1766. pagg. 380. 8.

E Gallia, vbi Latini libri vix leguntur et intelliguntur, nulli scribuntur,



(*) v. praefat. ad *Archaeolog. Philos. seu Doctr. antiqu. de rerum originib.*

tur, quis exspectasset de emendandis Latinorum auctorum corruptis locis praecepta, aut quis non eo maiori Auctorem laude dignum esse existimet, quo longius is a popularium suorum ingenio et moribus recessit? Magnam posuit diligentiam in colligendis, quibus praecepta illustraret, exemplis, quorum copia sat clare ostendit, peritum se esse artis, quam profitetur, et longo vsu cognitos habere ecclesiasticos scriptores. Nam, id quod statim monendum est, ad hos solos pertinere voluit Auctor obseruationes suas: ex his solis exempla petiit: bis tantummodo, ni fallor, antiquiores auctores attigit. Sed possunt etiam, quae de illorum libris emendandis scripsit, ad reliquos, quorum exstant scripta, extendi, vsumque in corrigendis locis habere.

Ipse libellus in duas partes descriptus est, quarum altera complectitur generalia quaedam, quae Criticos obseruare iubet, praecepta, altera ostendit indicia, et causas corruptorum locorum.

p. 1-72. Primum exemplis aliquot docet, omnino veram lectionem sola coniectura restitui posse, licet illa in nullo codice reperiatur:

periatur: quam caute in hac re Criticus versari debeat: quo studio auctor legendus et relegendus. Nec solum emendanda esse addit contra Grammaticam peccata, sed etiam quibus sensus obscuretur: id quod cum multo difficilius obseruetur, quomodo obseruandum sit, docet: tollenda esse haec verecunde et caute: Inprimis considerandam esse docet affinitatem, quae sit inter lectionem vulgatam atque illi substituendam. [Quod ad emendationem Erasmi attinet in vita Thrasybuli (c. II. 2.) Nepotis, quem cur *Aemilium Probum* appellet Criticus, cui huius erroris caussa ignota esse non debebat, nescio, codicum auctoritate ea confirmatur, obseruante Heusingero.] Ostendit, posterioris librarios aetatis saepe errores priorum, dum tollere voluerint, auxisse; siue, vt Hieronymus dicit, *de inemendatis scripsisse inemendatiora:* sed antiquorum hic codicum auctoritatem valere debere. [Licet in Actis nostris a Criticis disputationibus abhorreamus, popularium sermonum studiosi, non possumus tamen non hoc loco sententiam nostram addere. Nam, nisi me omnia fallunt, non erit nostrae opi- p. 27.

 nioni

nioni aliqua ingenii laus deneganda.
p. 44. Adfertur ab Auctore Ambrosii locus: *Requiramus igitur in scripturis veteribus, quid de tubarum genere legerimus*, consentientes *eas solemnitates, quae Iudaeis lege praescriptae sunt, superiorum esse vmbram celebritatum coelestiumque feriarum.* quidam codices habent *coniicientes*, alii *concientes*. Haec lectio me adducit, vt legam *concinentes*. quod verbum et proxime ad hoc accedit, et tanquam exquisitius a librario indocto mutatum corruptumque fuit, Auctor qui emendat, *quo scientes*, iam longius me recedit a vestigiis scripturae ]. Quid agendum sit, addit, si inter varias lectiones sit, quae sensum efficiat verum, lectio luculenta, sed inferior aetate reliquis: vbi adhortatur editores auctorum, vt etiam corruptissimas lectiones notent, quarum sit vsus magnus in origine lectionum falsarum indaganda. Temeraria Criticorum audacia, quae alia delet, alia addit, exemplis redarguitur, nec nisi in paruis verbis illi locus datur.
p. 68. [ Coniectura, qua Auctor verba Ciceronis emendat: *caussam, id est principium philosophiae esse scientiam*, vbi legit *solertiam*, futilis est.

est. neque enim hoc cum τῷ *princi-pium* coniungi potest, et plane repugnant statim sequentia: *prudenterque Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse.*] Denique monet Vir Cl. mutationes semper faciendas esse exiguas: quo maiores sint, eo minus eas probabiles videri: eo verisimilius esse, nos aberrasse. [Hac quidem in parte non satisfecit Auctor cum exspectationi nostrae, tum cupiditati. Nam primum non recto loco posita esse videntur omnia haec praecepta. Debebat Auctor prudentes medicos, qui causa morbi quaerenda inueniendaque nil prius habent, imitari, caussisque corruptorum locorum explicitis, tum demum rationem eorundem emendandorum addere. Quae quidem ratio et vtiliorem multo reddi-tura fuisset et vberiorem hanc doctrinam. Porro in his praeceptis multa omissa sunt, quorum explicationem ab Auctore postulare iure nostro possumus. Prima illa lex, Critico, a quibus fontibus lectio profluxerit, obseruandum esse, plane neglecta est. Sed et alia desunt. Huc pertinent, quae de lectionibus compluribus, aeque bonis et antiquis, de variis lectionibus e laudatis ab

aliis

aliis scriptoribus locis petendis, praecipi solent. Praeterimus alia.]

Altera pars octo capitibus absoluitur. Totidem enim fontes corruptarum
p. 46. lectionum Auctor inuenit. In *cap. I.* agit de affinitate, quam inter se habent multae litterae, ideo facile a librariis permutatae. Inde omnes litteras recenset, et, quibuscum confundi potuerint commutataeque sint, exemplis multis do-
p. 200. cet. Transit in *cap. II.* ad compendia scripturae, cum quae ad verba pertinent, tum quae ad syllabas tantum. Varia illorum genera enarrat, sigla, vocalium omissiones, maiores litteras, easdem litteras repeti debere indicantes, notas, verborum scribendorum compendia propria, aliorum communia, vnde multi errores nati, denique vaga variaque, quae librariorum quisque ex arbitrio ad-
p. 245. hibebat. Sequitur *cap. III.* de ignorantia librariorum, ob imperitiam plurima non intelligentium, substituentium falsa, et inepta veris et rectis, quae non assequebantur, nec haerentium tantum in locis vitiosis, sed sana quoque tentantium. Plura specimina negligentiae librario-
p. 262. rum dantur in *cap. IV.* Eos litteram primam aut vltimam verbi omisisse, si

praece-

praecedentis vltima aut sequentis prima fuerit eadem littera: litteras verbis adiecisse, si ab eadem littera sequens verbum inciperet, plus minusue litterarum aut syllabarum verbo addidisse, tota verba omisisse, litteras, syllabas, verba alieno loco posuisse. Quibus diligenter explicitis additur index vocum, quas plerumque permutauerint librarii. Quartam causam in proximo capite repetit p. 307.
a simili sonitu duorum diuersorum verborum; quintam a punctis, quorum et p. 323.
omissio ante nocuit, et inuentio librarios non minus in errorem duxit: sextam p. 358.
ab antiquo more sine vllo interuallo verborum seriem continuandi, librariis, qui deinde verba a se inuicem distinguere cuperent, mitas turbas excitantibus; octauam a notis in margine aut mo- p. 361.
nendi lectoris aut rei explicandae caussa additis. Vbi inprimis memorabile videtur, librarios, aut eos, qui codices examinarent, posuisse litteram r. (*requirendum*) vbi indicare voluerint, mendum esse in codice. Similia eosdem ob hanc causam interdum posuisse verba, quae male recepta sint inter orationem auctoris ipsam. [Sed debebant ab Auctore indicia, quibus deprehenduntur glossemata,

mata, accuratius recenseri. Quam paucs e multis illum attulisse intelliget is, qui Heumanni de hac re libellum consuluerit (*). Neque etiam omnes fontes corruptarum lectionum Auctor indagauit. Nil dixit de numeris, quibus nil facilius corrumpitur, nihil de Graecis verbis in codice Latini auctoris occurrentibus, cum alii librariorum spatium relinquerent aliquod vacuum, alii illud negligerent verbumque Graecum omitterent, nihil de confusione permutationeque, cuius aiunt esse in Iesaia et Ieremia exempla, voluminum et plagularum, indeque orta locorum transpositione (**), cuius illustre exemplum in Lucianeo Encomio Demosthenis obseruauit Gesnerus. Hae aliaeque corruptorum codicum causae non omittendae erant ab Auctore.] Interim vtilis erit huius libelli lectio eis, qui Criticae exercendae peritiam vsumque aliquem sibi comparare cupiant. Hi caute, verecunde, et diligenter sibi partes agendas esse, intelligent. Certe Auctor erga se

(*) vid. Heumannum *de Arte Critica* p. 45.

(**) vid. Scaliger. in Prolegom. ad Manilium.

se ipse iniquus est, dum inter summos, quos ex hoc labore ad hominum genus redundare dicit, fructus accuratiorem vitae sanctae Euphemiae cognitionem refert. Nam cum antea in libro S. Victri- *Praef.* cis legeretur, *eam vstulato* animo *non* p. 14. *palluisse*, ostendit Noster operose, legendum esse *armo*, atque hoc mysterio explicito valde laetatur. Equidem palluerit Euphemia an rubuerit, animus vstulatus fuerit, forte a proteruo Veneris atque sacris, sed humanis tamen nihilque humani a se alienum existimantibus, virginibus non ignoto filiolo, an corpus, ciccum non interduim!

---

## VIII.

## CENSVRAE LIBRORVM MINORES.

### I.

*Clarorum Valentinorum*, Petri Ioannis Nunnesii, Emanuelis, Martini Gregorii Maiansii, Ioannis Insulae, *aliorumque orationes selectae.* Lausannae, apud Franc. Grasset et Socios, 1767. pagg. 163. 8. Vtrum iam alio tempore

pore editae sint hae orationes, an nunc primum appareant, nescio. Continentur vero hoc volumine orationes decem. I. *Petri Ioannis Nunnesii oratio de causis obscuritatis Aristoteleae.* Causas repetit a varietate lectionis et corruptis librariorum culpa verbis, ab interpretum erroribus, ab ambiguo aut multiplici verborum multorum sensu, a rerum tractatione dialectica, a rerum ipsarum difficultate, quae multarum artium cognitione continetur. Habita est haec oratio a. 1553. parumque iucunditatis lectori praebet. II. *Eiusdem oratio ad Philippum III.* III. *Barthol. Ios. Paschalii oratio de optimo genere explanandi Aristotelem et de vi et vsu dialecticae artis.* Digna est ea aetate, qua scripta est. Nam annum praefert 1565. IV. *Eman. Martini Oratio pro crepitu ventris habita ad patres crepitantes.* Non credo inueniri quenquam in Germania, paullo liberalius et vrbanius institutum, qui horum leporum insolentia delectetur. Tanta est verborum sententiarumque obscoenitas! Tantam foeditatem omnes versus praeferunt! Vellem licuisset aspicere seueros et graues Hispanos talia audientes! Certe supercilium

cilium posuisse eos probabile est, vbi audiuerunt: *Loquitur Crepitus me hercule, immo triplici sermonis dialecto vtitur. Nam aliquando* pappax, *qui adultiore aetate sunt*, papappax, *qui virili*, papapappax. (p. 96.) Quomodo homo, qui non ruri inter vilissimam baiulorum turbam educatus sit, talia nugari possit, non intelligo. V. *Io. Insulae oratio, ad patres congregatos in concilio Tarraconensi*, a. 1733. celebrato. Scripsit eam Vir Cl. Greg. Maiansius. Idem scripsit sequentem proxime. VI. *de vtilitate Philosophiae*. VII. Oratio qua nescio cui lauream magisterii gratulatur nescio quis. VIII. *Oratio de optima ratione philosophiae docendae habita a Don Petro Pasqual*. IX. *Greg. Maiansii Oratio cum* Ios. Borrullius ad Salmanticensis Academiae senatum adscriberetur. X. *Eiusdem oratio in obitum Andreae Garciae*. — Toto libello perlustrato, cur omnes hae orationes noua editione librario dignae fuerint visae, causam nullam me vidisse fateor. Nam nec argumentorum grauitas, nec suauitas sermonis et elegantia quenquam facile ad lectionem inuitabunt.

II. *Abhandlung von den Odeen der Alten.* Lipsiae, in Dyckiana libraria. 1767. pagg. 188. 8. Saepius ab antiquis scriptoribus Odeorum fit mentio, sed quasi omnes illorum rationem nossent, paucis verbis. Recentiores rem aut falso explicuerunt aut neglexerunt plane. Sed diligentia singulari luculentaque eruditione vsus eam nunc probe illustrauit huius libelli auctor, comparatis inter se veterum auctorum locis et coniecturis aptis adhibitis. Quare obliuiscemur etiam, illum admiscuisse non pauca, longius ab argumento ipso remota, nec reprehendemus durius nimiam rerum quarundam, quae vix attingere opus fuit, curam. In *cap. I.* agit de Odeo, quod Athenis fuit. Refutatis igitur eorum opinionibus, qui Odeum partem theatri existimant, aut illud a locis, quae λέσχαι appellantur, non distinguunt, docet Odeum fuisse aedificium publicum a Pericle exstructum, vt ibi certamina poetarum et musicorum haberentur. quorum certaminum ratio verbose ab Auctore explicatur. Tum de loco, vbi situm fuit Odeum, agit, de amplitudine illius et forma, ad quam respexisse ingeniose coniicit Cratinum,

Peri-

Periclem appellantem σχινοκέφαλον Δία. Sed et postea theatro publico inseruiisse docet Odeum, et ius ibi dictum fuisse, et ciuibus frumentum tributum. Enarrat quoque fata et varias vicissitudines Odei, ab Alarico, Gothorum rege, euersi. *Cap. II.* spectat ad reliqua, quae in Graecia fuerunt, Odea. Corinthi et Patris Odeum fuisse Pausanias narrat, Sicyonem quoque et Abderam Odea habuisse Auctor coniicit: immo Odeorum vestigia inuenit Pocokius in Asia minore. Qua occasione inuitatus multa dicit Auctor de origine Musices summoque, quod Graeci erga Musicen habuerunt, quodque multis modis testati sunt, studio. In *Cap. III.* Romam transit, nec ibi antiquius putat Odeum fuisse eo, quod Domitianus excitauit. Traianus quoque Odeum exstruxit. Etiam Carthagine fuit Odeum, cuius Tertullianus mentionem facit, quodque noster a Septimio Seuero aedificatum fuisse putat. Haec de ipso libello, cui addita est disputatio Belleii de antiquo marmore, ob Odei Atheniensis restitutionem regi Cappadociae posito, e Commentariis Academiae Parisinae.

III. *De vitis Philologorum nostra aetate clarissimorum volumen secundum, auctore Theoph. Christoph. Harlesio, Culmbacensi.* Bremae, impensis G. L. Foersteri, 1767. pagg. 162. 8. Licet Viri Cl. doctrina notior sit, quam vt laudes illi tributae suspectae videri possint, atque etiam veteris amici humanitas facile admittat reprehensiunculam nostram, nihil tamen addamus nunc iis, quae alio tempore de prima huius operis parte diximus (*). Ipse vero Cl. Auctor in praefatione profitetur: „At hoc adfirmare possum, me nihil „amori, nihil odio, nihil inuidiae de„disse atque; quae sentirem (sed enim „me errare potuisse nullus nego) om„nia libere at verecunde scripsisse." Nec credo ingenui historici et veritatis studiosi laudem quenquam illi denegaturum esse. Complectitur haec pars vitas septem. I. primum locum obtinet vita *Christ. Frider. Baumeisteri*, Gymnasii Gorlicensis rectoris, viri ob ingenii praestantiam educandaeque iuventutis peritiam summam maxima laude digni. Scripta est haec vita eleganter a viro erudito nobisque ob ingenii,

(*) in Vol. I. p. 58.

genii, doctrinae, morum suauitatem carissimo, *Io. Christ. Brieglebio*, quem ad edenda plura ingenii amoeni monimenta adhortari non desinam. Copiose agit de ingenio, scriptis et moribus viri amabilissimi, vnde quidquam decerpere in hac proposita nobis breuitate non licet, quamuis iucundissimum sit, redire in memoriam pueritiae, quam sub optimo praeceptore suauissime egimus. II. *Ioannes Dauid Heilmannus*, nuper professor theologiae Gottingensis. [Quae Harlesius (p. 59.) *de opinionibus a cultu nostro sanctiori alienis* dicit, quas putat Heilmannum amplexum esse, ea non omnino mihi probantur. Equidem fateor, de rebus quibusdam aliter existimasse virum doctissimum, quam plerique Lutheranae doctrinae professores existimant, sed et Christiani doctoris nomen illi nullo modo eripiendum esse arbitror, et temere egisse iudico *Barthium*, Lipsiensem, qui ex armamentario Theologico tela quaedam vetustate fere corrosa depromsit et in caput viri doctissimi vibrauit, non sine stridore aliorum clamoreque.] III. *Erhardus Andreas Frommann*, Gymnas. Academ. Coburgens. di-

 rector.

rector. Luculentam viri doctissimi et magistri fidelis imaginem Vir Cl. exhibet. IV. *Ioannes Ernestus Immanuel Walchius*, Professor eloquentiae Ienensis. Merito laudat antiquitatis magnam, quae in Viro praeclarissimo est, cognitionem humanitatemque officiosissimam. V. *Io. Franciscus Corradinus d'Aglio*, Abbas Venetus, et, id quod praeteriri non debet, Scioppii Poggiique perpetuus aemulus. Licet enim Auctor fateatur, eum fuisse multi ingenii hominem variaeque doctrinae, eundem tamen in proscindendis lacerandisque aliis summam laudem posuisse addit. VI. M. *Nicolaus Schwebelius*, Gymnasii Onoldini Rector. "Nihil, „inquit Harlesius, illo in vita melius, „nihil sanctius in omnique morum laudisque genere ad antiquitatis exem„plar expressius illo novi. Hinc etiam „in scriptis suis alienus est ab omnibus „ineptiis et petulantia, quae plurimis Cri„ticis innata quasi videtur." VII. M. *Ioannes Theophilus Bidermann*, Rector Gymnasii Freibergensis in Saxonia. Virum appellat illum de pube et re scholastica bene meritum, industrium et in litteris, quae moderatorem scholae

et ornant et commendant, probe versatum.

IV. *Danielis Wilhelmi Trilleri.* — Opuscula Medica ac Medico-Philologica, antea sparsim edita nunc autem in vnum collecta atque digesta, ab Auctore ipso prius recognita, aucta, castigata et emendata, curauit et praefatus est *Carolus Christianus Krause.* Vol. I. Francof. et Lips. sumt. Io. Georg. Fleischeri. 1766. pagg. 568. 4. Quanta sit rerum antiquarum scientia in optimo sene, Trillero, quae eruditionis copia, quae orationis elegantia, nemo ignorat. Dudum enim aureoli illius libelli ab omnibus, qui recte de litteris iudicant, laudati mirifice et commendati fuerunt. Inde hac opusculorum collectione adornata nouo sibi beneficio deuinxit Vir praestantissimus non medicae tantum artis studiosos, sed, qui Graecarum et Latinarum litterarum studiis delectantur, omnes. Nam vt de iis loquamur tantum, quae ad nos pertinent, difficiliora medicorum veterum loca explicuit egregie, multaque rituum antiqui aeui morum et sententiarum capita praeclare et erudite exposuit. Neminem certe poe-

nitebit ea cognouisse, quae in libellis: *de Hippocratis studio anatomico*; (p. 107.) *de morbo Coeliaco*, a Cornelio Celso descripto, (p. 281.) de *arundinibus atque habenis* veterum medicorum, (p. 317.) *de clysterum nutrientium antiquitate et vsu*, (p. 399.) *de scarificatione atque vstione oculorum* apud Hippocratem, (p. 463.) *de scarificationis oculorum historia, antiquitate, et origine*, (p. 485.) *de remediis veterum cosmeticis eorumque noxis* p. 496.) *de planta quadam venenata eiusque furioso effectu* λιθοσπάδῳ, copiis Antonianis olim exitiali, ad illustrandum quendam Appiani locum in Parthicis (p. 556), erudite a Cl. Auctore disputata sunt. Horum enim inprimis libellorum ideo mentionem fecimus, quia eorum argumenta non abhorrere a litteris humanitatis vel ipse titulus indicat. Sed nullus est in hoc Volumine libellus, qui non eruditionis copiosae vestigia habeat, quique non auctorum veterum locis, tanquam luminibus, distinctus et illustratus sit. Quare omnes ad elegantissimorum libellorum lectionem inuitamus, licet etiam aliis se doctrinae partibus addixerint. Nam

vbi

vbi etiam e re medica repetita argumenta explicat, popularem tamen, elegantem et doctam disputandi rationem sermoni plurimorum tenui, ieiuno et horrido praetulit. Illa certe virtute se commendant libelli: *de veritate paradoxi Hippocratici*, nullam medicinam esse interdum optimam, (p. 133.) *de tabaci ptarmici abusu* (p. 220.) *de morte subita ex violarum odore* (p. 237.) *de morbo per sapientiam mori*, apud Plinium, L. VII. c. 50, (p. 508.) *de vino modico Hypochondriacis salutari* ad illustrationem loci Paulini, 1 Timoth. V, 23. (p. 534.) In his omnibus libellis vbique sui similis est Vir praestantissimus, et collectas multo labore et longo studio diuitias elegantissimae doctrinae vbique explicat.

V. *De adoptione per comam atque barbam, Prolusio historico-Critica, auctore* Ioanne Petro Millero Gymn. Vlm. Rect. Vlmae, 1766. pagg. 16. 4. Non placet Auctor, qui argumenti explicationem *a gemino ouo* repetit. Primum *de ipsis pilis*, ait, *quaedam commentari animus est.* Certe quam longissime recessit atque Adami exemplo

 docet,

docet, quod nemo mortalium negauit, naturam *quoque aeuo omnibus ac singulis* capillos tribuisse. *Quid enim?* inquit, *annon ipsum quoque principem humani generis caesarie et barba coniugemque eius coma pulchre consuefitos fuisse indicemus, quum eorum certe posteri ad vnum omnes capillati sint?* Hoc mysterio explicito additisque aliis, his similibus, ostendit verbose, veteres populos capillos barbamque numini cuidam voto suscepto interdum dedicasse, et comam barbamque apud complures fortitudinis, sapientiae, et nobilitatis signum fuisse. Ab hac consuetudine tonsurae ecclesiasticae originem deriuat. Posteaquam docuit seculo post Christum natum sexto iam inualuisse morem, puerorum comas religioso modo tondendi, aliquot exemplis ostendit, eos, qui capillos puerorum totonderint aut susceperint, in ecclesia *spirituales* et *per adoptionem patres* esse factos (his enim verbis vtuntur illius aeui scriptores.). Denique quae fuerint susceptoribus hisce capillorum officia obseruanda, commemorat.

---

IX.

# IX.

*Triumuiratus Theologicus.*

Nuper aiunt conuenisse virum in pago Mohrungensi prope Regiomontum summe Venerabilem, *Sebastianum Fridericum Treschouium*, et Hadelensibus sacerdotibus carissimum, *Christianum Ziegram*, septem artium magistrum utrique tabellionis nomine in Germania merito illustrem, eosque ruri aliquot dies perquam hilariter egisse et iucunde. Nam et in vtriusuis aurem vsque ad mediam lucem vtrumque dormiuisse, quam iis quietem saepe acerbae et tristes de Tellero, Basedowio, Klotzio et aliis nefandis viris cogitationes exemerunt: et vehementer laetatos esse viros efficaces et strenuos, oblatam sibi tandem esse occasionem, inter haustus cereuisiae largos herbaeque Nicotianae fumum, qualis decet pagani concionatoris cubiculum, de rebus maximi momenti confabulandi agitandique consilio, quibus nominibus augendus esset infelix *haereticorum* index, quemque potissimum in tabulis censoriis notarent. Prae-

Praeterea augebat hilaritatem non ſolum antiquae neceſſitudinis et amicitiae fraternae, quam eorundem conſiliorum ſimilitudo et ſapientiae eiusdem amor peperit, memoria, ſed etiam ſuaue fuit inprimis Treſchouio, pinguiuſculum, quem ſuarum virtutum praeconem perpetuum habuerat, quemque nunquam antea viderat, amicum complecti oſculoque, non quale nos heu! profanos docuit Tibullus et Anacreon, ſed quale ſoli intelligunt ſimiles. Ziegrae Treſchouioque heroes militesque veterani, excipere. Nihil omnes dicunt iſtis diebus iucundius, ſermonibus facetius feſtiuiusque cogitari poſſe, licet adeo clamoſus vterque fuerit, vt pagus reſonaret ſaepiuſcule vocibus virorum, pro iuſta cauſa contendentium damnantiumque improbos. Quo in ſermone multa egregie, ingenioſe et facunde a duumuiris iſtis deplorata et commemorata narrarunt, qui eorum particulam aliquam ad aures ſuas delatam eſſe nobis perſuadere cuperent. Vtriusque manu multos cecidiſſe non obſcuri nominis, pallentesque ad Erebi vmbras demiſſos fuiſſe ante diem. Aliis Atheorum nomen impoſitum, aliis Socini errores obiectos, alios dignos iudicatos

dicatos esse, qui includerentur carcere lentaque fame enecarentur. Eo autem omni sermone confecto, nec relicto aut omisso vllo, cuius doctrinam reprehensione dignam existimarent, pluribusque vna et consentiente voce traditis aeternis poenis durissimisque apud inferos iudicibus, quaesiuisse Treschouium: Ecquid vero *Bahrdtius* noster? nam te profecto fortunam amici nosse par est. Nonne enim tu is es, ad quem omnia referuntur, quae vbique terrarum aguntur, vt ea selecto piorum nostrique nominis studiosorum numero narres? quemadmodum iis meas quoque laudes facundo ore decantasti. quibus dictis in collum viri inuasit et prope lacrumauit prae gaudio. Ziegram vero, leniter subridentem et comiter, vt solet lepidissimum caput, respondisse narrant: quasi vero alia de te dixerim, fratercule rerum mortalium dulcissime, quam quae diu omnes de tuo ingenio et eruditione iudicauerunt! Neque enim curamus calumnias istorum nebulonum, qui nostram, qua reip. salutem stabilire et augere conamur, operam irrident maleuole et sibilant. Noui enim certissime, istos omnes saeuius olim cruciatum

ciatum iri Prometheo, et Ixione, praesertim cum nec caudam, nec vngues equinos, nec cornua daemonibus, qui sibi haec ornamenta nunquam eripi patientur, adesse nobiscum fateantur. *Quos ego!* — Sed hi aliique plures, me omnes DI exagitent, nisi summas mihi poenas daturi sint proxime! Iam quod ad Bahrdtium attinet, quem iure nostrum appellas, tulit ille fructum laborum, quos pro iustae rei defensione suscepit, fortissimique quem ostendit, animi. Ita fortuna nostros conatus iuvat! Lege quaeso titulum libelli, quem nuper edidit, quemque mecum attuli, vt in itinere breuem illius censuram componerem. Similis est, ni fallor, reliquis, quos edidit collega noster alio tempore. — Auide Treschouius, vt solent Iudaei antiquo numo conspecto, arripere libellum, bis terue mentum bene barbatum fricare, tum frontem tergere, et clara voce legere:

*De inclyto bibliothecae Electoralis Dresdensis codice bibliorum Ebraeorum manuscripto Prolusio, qua orationem solemnem more maiorum noui muneris adeundi causa*

*sa indicit* Carolvs Fridericvs Bahrdt, *A. M. Philologiae sacrae professor publ. extr. et ad aed. diu. Petri Ecclesiastes subst.* Lipsiae, litteris Breitkopfiis. pagg. 20. 4.

Auditae igitur sint preces meae, vota impleta! nam semper hominis praeclarus ardor mihi placuit. Quas nunc ille pugnas inibit! quas victorias reportabit ab omnibus, qui nos melius quaedam maioribus nostris intelligere posse doceant aliasque opiniones tradant, quam ante ducentos annos homines solerent. Nam potestatem nactus est, quidlibet omnibus silentibus ad populum dicendi, dicetque nunc sententiam eo liberius, quo maius capiti decus et capillamentum adferet insigne et collare venustum. Has inter verae laetitiae voces cum euolveret Treschouius libellum et oculis perlustraret, mox ingemuisse, aestuasse modo et sudasse, modo palluisse dicitur. Qua re animaduersa valde perterritus Ziegra, quid tibi fit? mea anima, interrogat, quid palles? Restatne forsan, quae molesta nunc est, paullum atrae bilis, quam vtinam helleboro expulisses! Tum Treschouius: Magnam praeter

ter spem calamitatem coeli ira nobis immisit, largamque doloris et tristitiae praebuit materiem. Eloquar an sileam? video Bahrdtium, familiarem nostrum, commilitonem et collegam pristinum, permulta in hoc libello exscripsisse ex aliis, quorum nomina non edidit. Quid putas dicturam esse nunc improbam cohortem? quam putas in nos, quorum cum Bahrdtio coniunctio minime obscura est, infamiam redundaturam esse! O mi Bahrdti! o mi Bahrdti! mi frater, immo mi fili! quid egisti? quo te mens laeua abripuit! — Incredibilia narras, Ziegra interpellato sermone amici, inquit. Per titulum, quem vt non parua emerem pecunia quorundam malignitas effecit, *Canonici minoris* iuro tibique confirmo, doctum esse hominem Bahrdtium, et licet, vt par est, nobis sit inferior eruditione, tamen virum non leuiter tinctum litteris nostris. Immo rem statim indagabimus. quorum suspicaris scrinia familiarem nostrum compilasse? — *Wolfii Bibliotheca Hebraica* et *Carpzouii Critica sacra* parum prudenter et callide vsus esse videtur, miserabili voce Treschouius respondit. Sed quid multa? Inspiciamus libros ipsos.

Euolue-

Euoluemus eos et comparabimus cum Bahrdtiano libello. Tu vero, quaecunque sis, Dea, quae omnem dissensum intolerabilem esse pronuncias et ense flammisque cohibendum, quae quoscunque minis et conuiciis in partes tuas trahere conaris, quae nostra ingenia audacia armas, animisque fortitudinem, qua nomen nostrum nobilitatum est dudum, inspiras, ades, quaeso, et mala omina auerte. Ita tibi quotannis centum haereticos tanquam hostias gratas offeremus tuamque ad aram Socinianos mactabimus, Arminianos et Crypto-Caluinistas inter pias preces et laeta carmina. Quibus precibus factis vterque comparationem auctorum instituit, ita, vt Treschouius Bahrdtii verba recitaret, furta indagaret Ziegra.

*Treschouius.* Hem! qui (p. 4.) adferuntur auctores, Tenzelius, Wekius, et Tollius, eos suspicor iam laudatos esse ab aliis.

*Ziegra.* O me miserum! Wolfius in *Bibl. Hebr.* T. II. p. 307. eos laudauit. Malum hercle! omen.

*Tresch.* Pergam, (p. 5. et 6.) *Haec mihi arridet coniectura — aliorum codicum.*

[illegible] [illegible] fuit e Carpzovi [illegible] p. 383 et 384.

[illegible] primum quidam [illegible] — minusculas [illegible]

[illegible] Quid agis? XXVI. versus continuos [illegible] descripsisse! Non [illegible] verbis [illegible] apud Carpzov. p. 382. [illegible] et [illegible] T. II. p. 297. 312. [illegible] T[illegible] pro *fatis* posuit [illegible] Vix oculis meis fidem [illegible]

[illegible] Tota fere, quae sequitur, [illegible] (p. 8.) *Pandectas — [illegible]*

[illegible] Sunt Carpzovii verba. p. 383. [illegible] *Fr[illegible] — Minnemi[illegible]*

[illegible] Sunt Wolfii T. II. p. 296. 299.

[illegible]: *qui consonas — ma[illegible]*

[illegible] Etiam haec a Wolfio sumta; [illegible] p. 299. 309. 308. 306. Vix lacri[illegible]

[illegible] Etiam in sequente pagina p. [illegible] deprehendes.

[illegible] *[illegible] — discrepans.* — [illegible] Wolfii sunt, T. II. p. 296. Etiam

haec:

haec: *Quare — illibata*, T. II. p. 330.
Hui!

*Tresch.* Comparabimus sequentem paginam (p. 10.) *Singulas foliorum — difficulter inueniantur.*

*Ziegr.* Per Deum! haec debentur Carpzouio p. 382. et p. 383. Pauca relinquemus Bahrdtio propria, si ita agere pergamus.

*Tresch.* Mirum, ni illa p. 11. *Oxonii — auctus* est, Wolfio surrepta sint.

*Ziegr.* Ita est. E. T. II. p. 312. et T. IIII. p. 82. Sed verba mutauit, quod vtinam fecisset saepius! Verum paullo post; *in Maiora — nonnulla* et tum; *librarius — Paralipomena* fideliter Carpzouii verba descripsit. p. 384. 383. O Bahrdti! o te non filium et amicum Treschouio et Ziegra dignum, sed Absalonem!

*Tresch.* Videamus reliqua. Cuius sunt illa verba (12.) *Quinque — cernitur?*

*Ziegr.* Wolfii.

*Tresch.* Cuius haec: *Exhibet — conspirat!*

*Ziegr.* Carpzouii p. 383.

*Tresch.* Et illa: *Friglandino — exarata.*

*Ziegr.* Periit! Haec sumta sunt e Carpzouii *Crit. Sacr.* p. 383. et 384.

*Tresch.* (§. 2. p. 67.) *primum quidem membranaceus is — minusculae suspensae.*

*Ziegr.* Quid agis? XXVI. versus continua serie nostrum descripsisse! Non potest esse. Sed ecce! iisdem verbis omnia leguntur apud Carpzou. p. 382. 374. 383. et Wolfium T. II. p. 297. 312. 313. 314. 311. Tantum pro *satis* posuit noster *perquam*. Vix oculis meis fidem habeo.

*Tresch.* Tota fere, quae sequitur, pagina aliis surrepta est. (p. 8.) *Punctatus — iudicante.*

*Ziegr.* Sunt Carpzouii verba. p. 383.

*Tresch.* *Vratislauiae — Minnemi-non.*

*Ziegr.* Sunt Wolfii T. II. p. 296. 299.

*Tresch.* Porro: *qui consonas — manus esse.*

*Ziegr.* Etiam haec a Wolfio sumta; ibidem p. 299. 309. 308. 316. Vix lacrimas teneo.

*Tresch.* Etiam in sequente pagina (p. 9.) idem deprehendes.

*Ziegr.* *Amstelodami — discrepans.* — Haec Wolfii sunt, T. II. p. 296. Etiam haec:

haec: *Quare — illibata*, T. II p. 330. Hui!

*Tresch.* Comparabimus sequentem paginam (p. 10.) *Singulae foliorum — difficulter inueniantur.*

*Ziegr.* Per Deum! haec debentur Carpzouio p. 382. et p. 389. Pauca relinquemus Bahrdtio propria, si ita agere pergamus.

*Tresch.* Mirum, ni illa p. 11. *Oxonii — auctus* est, Wolfio surrepta sint.

*Ziegr.* Ita est. E. T. II. p. 312. et T. IIII. p. 82. Sed verba mutauit, quod vtinam fecisset saepius! Verum paullo post: *in Maiora — nonnulla* et tum: *librarius — Paralipomena* fideliter Carpzouii verba descripsit. p. 384. 383. O Bahrdti! o te non filium et amicum Treschouio et Ziegra dignum, sed Absalonem!

*Tresch.* Videamus reliqua. Cuius sunt illa verba (12.) *Quinque — cernitur?*

*Ziegr.* Wolfij.

*Tresch.* Cuius haec: *Exhibet — conspirat!*

*Ziegr.* Carpzouii p. 383.

*Tresch.* Et illa: *Friglandino — exarata.*

*Ziegr.* Wolfii. T. II. p. 311. O si te nunquam amare incepissem, qui tantam impudentiam ostendis! Abeo.

*Tresch.* Mane. reliqua etiam sunt comparanda: (p. 14.) *Iablonskius — solent:* nonne haec sumta sunt e Carpzouio? p. 375.

*Ziegr.* Wolfius eadem fere habet T. II. p. 326. Idem etiam eodem loco Simonii locum laudauit. Et vide clarius vestigium imprudentiae. Vnde illa verba: *Velut — constat?*

*Ziegr.* Vtinam mutus essem aut oculis captus. Carpzouius eadem dixit p. 384. Immo illa omnia: (p. 15.) *qui Iesaiam diuersa:* tum: *priscis — exactius:* porro *eruditus — tolerauit* inuenio quoque in Carpzouio p. 385. p. 379. 380. Denique Wolfius quoque locum Simonii attulit T. II. p. 329.

*Tresch.* Ita finis, vt est in prouerbio, coronat opus.

*Ziegr.* Quasi vero iocis nunc locus sit! Videamus potius, quomodo honori et famae viri succurramus.

*Tresch.* recte mones et sapienter.

*Ziegr.* Mihi crede. fabula fiet Bahrdtius et cantabitur in vrbe. Nam primum eum surripuisse totum fere libel-

lum

lum Carpzouio et Wolfio, quorum nomen nunquam posuit, luce meridiana clarius est. Deinde plurimorum in manibus isti libri sunt, qui, quae nos deprehendimus, ipsi etiam facile animaduertent. Tum parum prudenter et callide rem egit noster. nam saepius ipsa auctorum verba retinuit, quae si mutasset, hercle! tutius furtum committere potuisset. Quidni nos consuluit prius quam periculosae plenum opus aleae aggrederetur? Sed videris mihi nescio quid animo meditari. Illa tuae frontis nubecula, quam iam noui, semper aliquid praeclarum minatur.

*Tresch.* Inueni tandem veram totius rei rationem. Noli credere, aut tam impudentem aut stolidum fuisse amicum nostrum, vt Wolfium et Carpzouium compilaret. Puer sit oportet aut mente captus, qui non callidius furetur. Praeterea in iis, quos edidit, libellis et multum vbique ostendit ingenii et eruditionis satis. Quare longe aliter de hac re statuamus necesse est.

*Ziegr.* Euge! Amo te. narra omnia.

*Tresch.* Arrige igitur aures. Non ignoras, aeternum esse Bahrdtio bellum susceptum cum daemonibus daemonumque amicis. quos dicam nosti. Quidni

 creda-

credimus, illos pessimos ex orco genios oculis hominis pii quasi tenebras offudisse et vi occulta, vt aberraret saepius vir optimus, effecisse? Ita illi dum hostem aeternum et formidabilem risui et ludibrio profanorum Criticorum exponere audent, animum explent vindictae cupidum semperque damnis hominum generi inferendis intentum.

*Ziegr.* Admiratus semper sum tui ingenii praestantiam, cuius quam egregiam nunc vim exseris! Mea quoque sententia huc redit. Nam quidni ille, qui anicularum animos tentat, qui nummos conflat et distribuit, immo qui versus componit et, vt nuper prope Wittebergam, interprete puella vsus, recitat, etiam effecerit, vt Bahrdtius, quasi occoecatus, exageret, scriberet, diceret, quae, si oculo vtroque sanus fuisset, nunquam acturus erat.

*Tresch.* Immo quidni is, qui viris doctis hypochondriacos dolores adfert. —

*Ziegr.* Teneo. Amicorum nostrorum quidam primus mortalium huius morbi originem coniectura assecutus est (*). —

*Tresch.* Quidni is, inquam, compilandi coecam cupidinem inspiret scriptorique fucum faciat illaetabilem?

Qui-

(*) v. *Anmerkungen zum Gebrauche deutscher Kunstrichter.*

Quibus verbis dictis vtrumque narrant respirasse animumque antea deiectum sensim reuocasse. Ziegra vero, plenus gaudii ob honorem amici defensum famamque Bahrdtii assertam, laudare vehementer Treschouii acumen, et cum sermonis longitudo sitim accendisset, poculo sublato, clamare, Κύκλωψ τῆ, πίε οἶνον. — Cui mox Treschouius calice fumido respondere: Bene vos! bene nos! Bene te! bene me! bene nostrum etiam Bahrdtium! omnesque nobis ingenio, animo, clamore, doctrina et moribus similes Theologos!

*Homer. Od.*

---

# CONSPECTVS LIBRORVM

QVORVM CENSVRAE

*VOLVMINIS IV. PARTE II.*

CONTINENTVR.



IV.

# ACTA LITTERARIA.

SCRIPSIT

CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*
IVVENAL.

*VOLVMINIS IV. PARS III.*

*ALTENBVRGI*
EX OFFICINA RICHTERIA.
CIↃ IↃ CC LXVII.

[illegible]

# I.

*Petri Lambecii* Hamburgenſis Commentariorum de Auguſtiſſima bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi *liber primus*, editus in lucem auſpicio et liberalitate ſacratiſſimi glorioſiſſimique Principis et Dn. N. Imp. Caeſ. Leopoldi I. Pii, Felicis, Victoris ac triumphatoris, ſemper Auguſti: *Editio altera*, opera et ſtudio *Adami Franciſci Kollarii*, Pannonii Neoſolienſis, Mariae Thereſiae Aug. a Conſiliis et Vindob. Biblioth. Palat. Cuſtodis primarii.

Vindobonae, typ. et ſumt. I. Th. Nob. de Trattnern. 1766. Alph. 2. plagg. 10. fol. cum fig. aen.

Grata eſt nobis noua Lambecianorum commentariorum editio, cum ob ipſius operis praeſtantiam multiplicemque vtilitatem, tum ob multa, quae a Cl. *Kollarii* ingenio,

doctrina, studio accepit, ornamenta. Ipsa quoque externa operis facies digna est illius aulae splendore, cuius in sinu aeternum hoc maximarum omnis aeui animarum domicilium templumque sapientiae conditum fuit et magnifice liberaliterque decoratum. Sed gratiorem nobis fecisset rem Vir Cl. si omnino reliquisset Lambecii rationem, cui lucidus ordo vbique deest, vsusque iis, quae illius Commentariis insunt, bonis, nouam plane viam iniisset. Nunc editoris tantummodo, et emendatoris personam suscepit, nec sustulit, quibus Lambecianum opus laborat, incommoda omnia. Interim fruamur iis, quae accepimus, hortemurque Virum Cl. vt non solum strenue perficiat rem inceptam, sed Lambecii quoque humanitatem et cuiusque desideriis inseruientem facilitatem imitetur.

*Primum* hoc volumen libri *primi* partem *primam* complectitur, id est, Lambecii Epistolam *de secundo itinere Italico per Vindobonam siue Wiennam Austriae Romam reditudque in aulam Imperialem et suscepta praefectura bibliothecae Caesareae, nec non de eiusdem origine, incremento et praesenti statu.*

ſtitur. Huic Epiſtolae addidit Vir Cl. animaduerſiones quasdam, in quibus alia explicuit, illuſtrauit alia, quae lectori obſcura fore iudicaret. Inſunt his quaedam (*), quae praeter neceſſitatem addita fuiſſe arbitramur. Sunt enim vulgaria. Inſeruit etiam quoquo loco ea, quae ipſe Lambecius addi voluit commentariis ſuis. Sequitur *Appendix*, ad- p. 208. didamenta quaedam continens. Reliqua enim quae fortaſſe aliquis hoc loco ſe inuenturum eſſe ſperet, aut Commentariis ſubiecit, aut in *Analectis Vindobonenſibus* edidit. Illa vero ſunt. I. de origine bibliothecae. II. de nonnullis orientalium linguarum codicibus Caeſareis ab Schikardo laudatis et de libris eiusdem generis a Cl. Tengnagelio vltima voluntate bibliothecae Aug. legatis: III. deſcriptio bibliothecae ex libro commentariorum tertio repetita. (*diagramma ſynopticum* Lambecius appellat, parum eleganti ſermone vſus.) IV. Catalogus codicum MSC. orientalium, a Francisco Meninskio vulgatus editusque a Neſſelio. „Illum hoc loco „ideo collocatum eſſe dicit, Cl. *Kolla*„*rius*, vt eorum ſaltem quadamtenus ſa-



(*) v. c. p. 5. 29.

„tisfieret desideriis, qui peregrina illa
„eruditione delectantur et commenta-
„riorum initium a codicibus orientali-
„bus Caesareis non fuisse sumtum fre-
„quenter sunt questi."

Alteram huius voluminis partem *Kollario* debemus, qui, quae Lambecianis commentariis adiicienda putauit, in-
p. 432. scripsit: *Adami Francisci Kollarii ad Petri Lambecii Commentariorum de Aug. Bibliotheca librum primum supplementa.* Continent illa historiam bibliothecae Vindobonensis vsque ad nostram aetatem pertextam, cum narratis vitis eorum, quorum curae mandata fuit bibliotheca, tum expositis nouis, quae accepit, ornamentis, atque etiam laudibus principum, quorum liberalitati plurimum ea debet, celebratis.

p. 434. Primum de vita Petri Lambecii exponit, cuius historiam verbose conscripsit Mollerus. Quare nihil repetemus. Sed iubet lectoribus nostris narrare, quid Auctor iudicet de transitu Lambecii a Lutheranis sacris ad pontificia. Varias enim de hac re sententias tulisse viros doctos constat. Ideo etiam Kollarii opinionem cognoscemus.

„Dedita

„Dedita opera, inquit, neglexímus p. 443.
„ea omnia, quae is (Mollerus) ob mu-
„tatum in religionis proposito animum,
„siue vt eidem videtur, ἀποςασίαν,
„feruore Cimbrico in tumulum imme-
„rentis effudit. — Ad odiosum *apo-*
„*statae* nomen quod attinet, de hoc
„multis agere, cum notissimum sit, nec
„vacat nobis, neque etiam lubet. Vi-
„detur autem nobis Mollerus atrocem
„in nostrum calumniam instruxisse mo-
„ribus aeui sui, in quo grassatum est
„quam maxime cynicum illud quorun-
„dam Christianorum genus, de quibus
„iterum, si viueret, sanctus ille vir que-
„reretur ac inter lacrymas diceret: *dum*
„*alter alterum ait esse diaboli, neuter*
„*est Christi*. De ambitione Lambecii,
„cui tum haec religionis, tum etiam
„vitae instituti mutatio a grauissimis,
„vt Mollerus somniat, viris tribuitur,
„ad solum illum καρδιογνώςην Deum
„cognoscere pertinet: inuidere autem,
„quod tute ipse censeas, malum esse,
„aut stomachari etiam, idem illud, quod
„tibi, alii peruersum non videri: id
„profecto est sine ratione et causa in-
„nocentem in crimen vocare: nam
„finge sis, amabo, dogmata religionis,

 „quam

„quam venerare, demonstrationibus
„geometricis simillima esse: tamen ne
„hoc quidem pacto recte agas, si suc-
„censeas illis, qui, siue damno, siue
„commodo suo, placita sua retinere
„et laudare malint, nisi forte acutis prae-
„ditus oculis omnibus reliquis mortali-
„bus, qui hebetioribus vtuntur, irasci,
„ac diuitiarum Dei munere potitus, his
„qui cum egestate conflictantur superbe
„illudere pulchrum et humanum esse
„existimes. Sed haec iniucunda missa
„facio: et ad propositum redeo." In-
sunt sane his verbis non pauca bona,
atque vehementer optamus, vt plures
Vindobonae eadem aequitate iudicare
incipiant de iis, quos de religionis
doctrinae capitibus quibusdam a se dis-
sentire intelligunt. Ad Lambecium ve-
ro quod attinet, non ideo illum repre-
hendo, quia sententias Episcopi Ro-
mani veras censuit, sed quia ad illas arri-
piendas non persuasione, sed aliis caussis,
se adduci passus est. Nam dum do-
mesticis litibus non sat fortiter restitit,
dum alias molestias non animo constanti
pertulit, dum, vt se his malis liberaret,
sententiam, quam veram censuit, abie-
cit et palam ad alias partes transiit, le-
vitatem

vitatem et imbecillitatem animi ostendit. Hanc solam ob caussam Lambecium vitupero. Nulla vero reprehensione eum dignum iudicarem, si nossem, aut si me quisquam doceret, Lambecium ideo opinionibus pontificiorum accessisse, quia eas veriores existimauerit iis, quibus innutritus fuit. Sed haec hactenus.

Copiose agit inprimis Auctor de Commentariis Lambecii, atque, cum virtutibus tum vitiis illorum indicatis, transit ad *Syntagma rerum Germanicarum*, cuius p. 541. edendi consilium Lambecius ceperat, cuiusque desiderio accendit historiae patriae studiosos. Recensentur docte et accurate omnia ea scripta, quae magno opere complecti voluit Lambecius, vbi interdum desiderauimus elegantiam sermonis, quo vsus est Vir Cl. Latini. Immo aliquoties sibi excidere passus est ea, quae praeceptis linguae plane aduersantur (*). Quae cum facile corrigi possint, maiorem in posterum Auctor operam ponet in emendanda sui operis lectione. Ad alia progredimur.

 Qui

(*) v. c. p. 676. *persuadent me, vt credam et oratio* et stilus. conf. p. 732. lin. 24.

p. 624. Qui Lambecio successit, Danielis Nesselii vita sequitur, "cuius ait Auctor „merita de bibliotheca deque rep. lit„teraria admodum dubia esse." "Im„mo vehementer, addit, vereor ne si „aequae lanci, quemadmodum fieri par „est, imponantur, leuiora multo eua„dant quam multis hactenus sunt visa." Haec vere dicta esse luculentis documentis ostenduntur. Inprimis mirati sumus malam Nesselii fidem, qua Bruschianum Chronicon (*) corrupit, mutatis aliis, aliis omissis, quae famae monachorum non fauere videret: praesertim
p. 638. vbi sanctum monachum *morbo Gallico* laborasse narrabatur, aut vbi de Abbate quodam memoriae haec prodita sunt:
p. 645. *vini potor incomparabilis et assiduissimus, qui semper Bacchi aut Sileni alicuius instar haberet poculum, idque vini capacissimum.* Eo maiore laude dignus est candor *Kollarii*, qui non solum haec loca indicauit, sed merito quoque perfidiam Nesselii castigauit, licet vix gratiam

(*) liber inscribitur: *Supplementum Bruschianum*, siue *Gasperis Bruschii Egrani, Monasteriorum et Episcopatuum Germaniae praecipuorum ac maxime illustrium Chronicon* — Vindobonae 1692.

gratiam initurus sit hac animi liberalitate de monachis, qui ingenuam sodalium censuram aegre ferent. Nessellium excipit Ioannes Benedictus Gentilotus, qui coeptum a Lambecio opus perficere studuit. Quibus de commentariis nondum vulgatis, sed multo studio scriptis, sententiam Auctor dicit. Tum bibliothecae cura mandata fuit Pio Nicolao Garellio, Alexandro Riccardo, Gerardo van Swieten: quorum laudes Auctor commemorat. De se ipse quoque agit, de Spanagelio et Nicolao Forlosia, quorum fuerunt in curanda bibliotheca Vindobonensi partes quaedam. p. 728. p. 753. p. 788.

---

## II.

Theorie der Poesie nach den neuesten Grundsaetzen und Nachricht von den besten Dichtern nach den angenommenen Urtheilen, von *M. Christian Heinrich Schmid.*

Lipsiae, ap. S. L. Crusium, 1767. pagg. 499. 8.

Duplex videtur Auctor ingeniosus consilium habuisse. Neque enim solum colligere voluit ea, quae recentio-

res Critici de poetica arte praeceperunt subtiliter et acute, certaque ad capita eadem redigere, sed indicem quoque eorum conficere studuit, qui quoque poeseos genere excelluerunt. Vtrumque quomodo consilium perfecerit, videamus.

Ipse liber absoluitur capitibus XVII, primo loco in vniuersum quaedam dicuntur de natura, vtilitate, dignitate poeseos et de Criticis: tum historia poeseos sequitur, porro apparent eorum nomina, qui de poeseos praeceptis scripserunt: sequuntur quaedam de sermone poetarum, regulisque Grammatices iisdem obseruandis: inde a cap. VI. de variis generibus poeseos, de fabula, de narratione, de Carmine didactico, de epistolis, de Satyra, de epigrammate, de carminibus, quibus rerum pictura subest, de carmine pastorali, de elegia, de carmine lyrico, de carmine epico, de comoedia et tragoedia agit. De hoc ipso rerum tractandarum ordine disputare cum auctore nolumus. Neque an recte varia poeseos genera diuisa sint, quaeremus, quanquam aptiorem argumenti descriptionem adhibere potuisse Auctorem

facili

facili possemus negotio ostendere. Sed haec mittamus. Lubenter remitto auctori rei tradendae ordinem rationemque, modo rem ipsam luculenter explicuerit et docte.

Quod igitur ad ipsa praecepta attinet, parum aut nihil potius ingenio Auctoris debemus, id quod nec ipse negat. Sumsit sua ab Homio, Batteuxio, Schlegelio, aliis, qui nostra aetate de elegantioribus litteris scripserunt. Nonne vero potius antiquos auctores laudare et sequi Auctor debebat? Certe apud Aristotelem, Horatium, Quintilianum, alios, plurima pars eorum praeceptorum legitur, quae se dicit a recentioribus repetiisse? Mallem auctor in fronte libri professus esset, se secundum veras, non secundum novissimas, sententias de arte poetica librum scripsisse. Suntne vero ea, quae ex auctoribus, quibus tuto fidem habendam esse putat, omnibus numeris absoluta? Equidem memini me aliquoties minio notare marginem libri. Vt crederem p. 2. summum poesi finem propositum esse delectationem, non suis leporibus effecit. Si vel ad Harpages suos me referat, tamen profitebor, non esse hunc *unicum*

poeseos

poeseos finem, vt delectet, vt placeat. —
p. 6. Fastum, invidiam et φιλαυτίαν originem esse Critices, inuitus ex Auctore audio. Irati scriptores sic dicere solent. Ergone nullos nouit amicos, qui placide moneant scriptorem, qui miti vultu recitanti dicant: *Corrige sodes!* —
p. 11. Non hodie demum Philosophos incepisse, praecepta poeseos ex natura hominum arcessere, Aristotelis lectio docet, qui egregie de hominis indole praecepit. —
p. 37. Longinum in dicendi genere Platonem imitatum esse, nec Auctori credo, nec, quem sequi videtur, Geddesio. In Longino, qui saepenumero sublimitatem rei, quam tradit, sermonis sublimitate assequi studet, nullum vestigium video Platonici sermonis. — De Wielandi
p. 153. narrationibus sat tenuiter sentit. Iis tamen nil dulcius credo suauiusque cecinisse vnquam Venerem aut Gratias. Spirant illi versus vndique Cypri delicias Paphique nequitias suaues. — Quod
p. 155. dicit Lucretium versus suos nec antiquis nec recentioribus Criticis probasse, vehementer errat. Non dicam alios veterum in Lucretio *arduum furorem*, alios *artem*, *elegantiam* alios laudasse. Ipsa poetae lectio quemque docebit, ele-

gantissimum

gantissimum venustissimumque fuisse illius ingenium. — Nec de Lucano recte iudicat, aliorum errore corruptus. p. 190.
Ipse debebat Lucanum legere, non aliorum sententias sequi. Vix de quocunque alio peius iudicant vulgo viri docti, quam de Lucano. — Inter eos qui epigrammata scripserunt, Pythagoras, Solon, Theognis referuntur. quam vero ob causam? Ego in Elegia Solonis nil video, quod ad epigrammatis similitudinem accedat. — Varia genera minorum carminum Franco-Gallicorum non opus erat vt enumeraret Auctor. Neque enim ad minima quaeque illi descendendum erat, qui praecipua et magna delibaturum se esse pollicetur. — Originem elegiae nolo cum auctore repetere a more antiquorum populorum, conducendi ad naenias cantandas mulieres. Hic mos longe recentior videtur elegia reperta. Nec elegiae argumentum triste tantum est. Amores etiam illa et dulcia vulnera cantat. — Quis auctori dixit, Batrachomyomachiam valde mediocrem esse Iliadis imitationem a recentiore poeta profectam? Alio loco veneres carminis explicabimus — Apollonii Rhodii Argo- p. 246. p. 257. p. 294. p. 403.

nautica

musica non videtur ipse legisse. Quam de eo tulit, sententia parum satisfaciet cupientibus cognoscere ingenium poe-
p. 407. tae. Non debebant fabularum amatoriarum scriptores, Heliodorus, Chariton, reliqui, immisceri poetis epicis? Sed nolumus plura notare.

Veniamus ad alteram libri partem, quae complectitur scriptorum nomina, ab auctore cuique capiti ita subiuncta, vt plerumque sententiam quoque suam de illis adderet. Raro etiam hic ipse Auctor iudicauit, quanquam hoc aliquoties illum facere memini, (quam verecunde ipse viderit (*), saepius aliorum auctoritatem secutus. Berolinensium inprimis quorundam Criticorum opiniones Nostro arrisisse videntur, quibus etiam inest, quod placeat, facile iuuentuti. Quae vero de principatu quodam (**), de formidolosis armis, de vera aurificis aut potius Iouis trutina dicit, qua putat omnia ingenia pensari non sine eiulatu miserorum auctorum, ea non intelligo. Nunquam oracula existimauimus, quae Berolini de litteris, de ingeniis scriptorum dicta sunt: multa viros doctos bene, subtiliter et

facete

(*) p. 21. 30. 388. (**) p. 33.

forte ibi disputasse fateor, sed eosdem et partium studium ostentasse et saepiuscule valde errasse; noui et norunt alii, qui non ea omnia, quae ambitiose dicuntur aut cum risu, ideo verissima censent. — Quanquam vero hac in parte plus operae, quam in illa, Auctor videtur posuisse, parum tamen nobis satisfecit. Primum enim, nulla nec temporis, quo scriptores vixerunt, nec nationum ratione habita, permiscuit omnes. Hinc Anglos et Germanos videmus inter Graecos ambulantes Gallosque permistos Romanis. Porro quorundam populorum ingenia praeclara non sat nosse videtur. Non dicam, ex antiquis tantum Longinum et Quintilianum laudari, vbi de Criticis loquitur. Sed plerumque aut pauca dicit, aut ea, quae ad proprium cuiusque scriptoris ingenium cognoscendum non sufficiant. Quorundam scriptorum nomina tantum apparent, nullo addito de libris eorum iudicio. Historia poeseos valde ieiuna p. 51. est, solisque nominibus constat. Quid prodest index poetarum Hispanicorum? p. 70. Cognoscere ingenia et scripta cupimus, non nomina legere. Atque etiam Nic. Antonii nomen hoc loco non legi mi-

p. 77. ramur. De poetis Danicis multa plura dicere debebat poteratque Auctor, si, vnde facile illa hauriri possunt, libros tenuisset. Quis qui ea legerit, quae de hymnis Orphei et Homeri auctor dicit, sibi satisfactum esse fatebitur? Porro aliquot inuenimus scriptores quorum nomina nunc primum fando accepimus (*). Quomodo igitur illi ad numerum immortalium ingeniorum adscripti sunt? Eminere in iis ingenii felicioris igniculos facile largior, atque etiam nos bene de iisdem sperare addo. Sed quis illis inter Homerum, Virgilium, Cornelium, Tassonum, Gleimium, alios immortales viros, locum tribuat, quem non nisi longa dies iis dabit. Denique non placet illa carminum multitudo (**), quae in librum suum Auctor transtulit. Auxit, fateor, libri magnitudinem, non multo labore. Sed rem egit plane non necessariam. Estne credibile, eorum, qui hunc librum emant, quenquam fore, qui diuina Gleimii nostri carmina, quae plurimi memoria teneant in bibliotheca non habeat? Cur igitur totum illius suauissimum libellum

(*) p. 124. 158. 341. p. 234. 358.
(**) p. 143, 242. 289. 300. 392. 498.

bellum repetiit? Cur exſcripſit longiuscula aliorum carmina? Pro his eo loco, vbi de Satyra agit, Luciani, Petronii, Iuliani ingenia depingenda erant Auctori. Nam eorum tantum nomina vel tacente Auctore quisque tenet. Plura addere debebat Cl. *Schmidius*, quem non macilentum ſcriptorum indicem confecturum eſſe, ideo arbitrati ſumus, quia et bonis litteris illum eruditum eſſe ſcimus, et paſſim amoeni ingenii ſpecimina in hoc quoque libro deprehendimus. Quare etiam notauimus, quae nobis diſplicerent, verboſius, admonuimusque auctorem nobis charum liberius. Nam quos videmus ne bene quidem ſperandi de ſe materiem nobis praebere, eos omnino irato ſuo Genio relinquendos eſſe exiſtimamus.

---

quod ab interprete poetarum exspectare solemus. Omnia trita, vulgaria, puerilia. Nam Auctor lituum depingit (*), Venerem matrem Aeneae fuisse docet,
p. 323. quis Menelaus fuerit, quis Menelaus,
233. quis Vulcanus narrat. Immo nec aru-
87. 89. spices, nec Orionem, nec Furias, nec
207. 325. Parcas omittit, notissimarumque formu-
114. larum interpretationes attexit. Scripsimus infra aliquot exempla (**). Sed totus poterat Commentarius describi. nam contextus est ex eiusmodi animadversioni-

(*) p. 187. *Era il* Lituo *una picciola bacchetta, curva nella sommità di cui valevarsi gli auguri per misurare le diverse regioni del cielo allorachè consultavano il volo degli uccelli. Dassegli l'aggiunto di* Quirinale, *perchè fù il lituo usato da Romolo detto con altero nome* Quirino.

(**) v. c. p. 21. Haud dubitem *nel testo, non avrò dubbio, non troverò difficoltà.* p. 75. Communemque vocate Deum: *e vale dire, commune a voi e a noi, perciocchè onorato da ambedue le nazioni Trojana ed Arcada.* p. 83. aeterno fatur deuinctus amore: *invariabile, non mutabile per qualunque infedetà o ingiuria.* p. 151. *Nothus nel testo, e vale illegittimo: così nella serie de' Monarchi Persi abbiamo Artaserse Notho.* etc.

versionibus. Iurares Ambrogium vulgare aliquod Lexicon, cum hanc Virgilii editionem conficeret, in manibus tenuisse, vbique illud euoluisse atque inde non sine voluptate descripsisse suum commentarium. Nonne vero iste rationem chartarum nitidarum habere debebat, quibus istae interpretationes, quae in Germania sexennes pueri a ludimagistro audiunt, illinendae non erant? Huic Commentario praefixus est libellus Rudolphi Venuti, quo lucem adfundere conatur Virgilii versibus (Aen. VII. 560.) quibus Alecto ad inferos rediisse narratur (*). Quaesiuerunt enim viri docti, quam Italiae regionem respexerit poeta? Venutius vero putat, eum ante oculos habuisse torrentem quendam, qui Sabinorum terram perfluat, non procul ab agro, qui dicitur *Poggio Catino*. Inde loci ipsius picturam exhibuit, eamque cum Virgilii versibus comparauit. Mihi quidem illi descriptioni nil inesse videtur, quod non in multas alias regiones



(*) *Osservazioni sopra la Grotta, per cui Giunone andò a chiamare dall' inferno la furia Aletto, descritta da Virgilio al ver. 560. del lib. VII. de Eneide, dissertatione postuma del* Ch. Signor Abbate Rudolfino Venuti.

nes conuenirent, videturque poeta finxisse potius locum formidolosum, quam certam sedem descripsisse.

Multum his nugis ornamenti nitorisque adferunt antiqua monimenta, passim proposita, atque ab eleganti artificis manu scite reddita. Eorum non parua pars e codice Vaticano repetita est, qui cum tribus libris posterioribus caret, aliunde etiam petiit chartarum ornamenta. Museum Kirkerianum obtulit Auctori quaedam signa antiqua, antea non vulgata. Huc referenda est antiqua pictura Iunonis, Alecto infernis tenebris euocantis, alia militis e proelio exportati, gemmaque, in qua Vlysses tenens Palladium apparet. E gemmis Stoschianis, quarum indicem debemus Cl. Winkelmanno, aliquot nondum antea editae conspiciuntur. Pertinet huc leonem suffocans Hercules: Vulcanus arma Aeneae fabricans: concilium Deorum. Ex museo Florentino repetita sunt alia atque a columnis Traiani et Antonini sumta quaedam ornamenta. Aeneas vulneratus et ab Iapyge sanatus a Sarcophago in Capitolio acceptus est. Titulus praefert imaginem Augusti, quam habet protome marmorea

p. 23. p. 191. p. 233. p. 76. p. 86. p. 159. p. 299.

rea Musei Capitolini et praefationi subiunctum est caput Iulii Caesaris, quale in aedibus Casaliorum exstat.

Haec omnia monimenta nisi eleganter, venuste et recte exhibita esse dicerem, mentirer. Nam et perfectae sunt lineae secundum legem artis, et radio signa monimentorum in laminis aeneis bene inscripsit artifex. Sed etiam hic Ambrogii inscitiam deprehendimus. Poterat ille, si paullum ingeniosior esset, ea eligere monimenta, quae illustrando poetae inservirent, aut quae in Virgilii editione praecipuum locum et aptum obtinerent. Sed elegit is, aut potius quae se sua sponte offerrent, accepit reddiditque ea signa, quorum bona pars eodem cum fructu eodemque iure, quo nunc in Virgilii editione apparet, cuicunque veterum poetarum addi potest. Adeo verum est, nil recte agere, cui ingenium desit!

## IV.

*Ioannis Harduini*, Iesuitae, ad Censuram scriptorum veterum Prolegomena, iuxta autographum.

Londini, sumt: P. Vaillant, 1766. pagg. 237. 8.

Scilicet tanta laboramus malorum librorum inopia, penuriaque ineptorum hominum tanta nostra aetas premitur, vt cogamur vndique futiles chartas conquirere, puluerem, quo merito obrutae iacent, detergere, atque hominibus, quae nec postulauerunt, nec exspectauerunt, munuscula, tradere! Harduini certe somnia, quibus hominis cerebrum semper plenum fuit, nonne multo rectius tenebris relinquenda, quam in lucem protrahenda erant? Quem enim illa fructum cuiquam adferunt? quam habent delectationem? Interim, si quis ridiculam de veterum auctorum libris Harduini opinionem totam cognoscere velit, si, quos *impii*, vt semper dicit, *coetus*, a quo veteres scriptores efficti sunt, societate comprehenderit, scire cupiat, ille, quae huc pertineant, in hoc libro,

libro, cuius autographum exemplum in Museo Britannico repositum est, inueniet omnia. Videtur Harduinus hic quasi fundamenta iecisse, quibus totum aedificium, quod exstruere parabat, niteretur, et promsisse ea, quae *Censurae*, quam animo agitabat, *scriptorum veterum* praemittenda esse censeret. Omnes enim, quos loco mouendos putauit, auctores recensuit, argumentis causisque suae seueritatis editis, atque verbose commendato et laudato consilio suo, quod rei Christianae, aut potius, cui vnice deditus erat, aulae Romanae vtilissimum esse arbitrabatur.

Quae quidem omnia aut irridere aut refutare copiosius vix opus est. Imbecillitas enim leuitasque argumentorum nec dubia nec obscura est, atque etiam illam Harduini sententiam dudum viri docti refutauerunt. Quare nos tantum recensebimus libri argumentum ipsius, quantum fieri poterit, auctoris verbis vsuri. Hinc enim ridicula species opinionis ingeniumque viri mirificum satis apparebit.

Ipsum consilium statim initio libri, vt solent Epici carminis auctores, Harduinus non sine verborum splendida ambage

p. 1. bage indicat. "Rem, inquit, magni „operis, sed et maioris inuidiae aggredi„mur, *adspirante Deo,*" (quasi vero insani hominis nugas curauerit!) "quoad „vita ipso largiente suppetet; *scripta,* „quae vetera existimantur *omnia*, libris „exceptis, quos pro canonicis et sacris „habet ecclesia, et sex omnino profa„nis scriptoribus, Latinis quatuor, Grae„cis duobus, inter supposititia et a sce„lesto grege fabricata monumenta re„ferre. Non aliis interim scriptori„bus bellum indicimus huiusmodi, nisi „summi Domini Dei et Christi, et sum„mi Pontificis et Regiae potestatis ho„stibus." Multa deinde garrulus Loiolita verba facit de vtilitate, quam hoc veterum scriptorum examen humano generi adferre putauit, atque de malis, quae ex cultu et lectione Graecorum Latinorumque auctorum oriantur. "Fiet p. 9. „breui, inquit, ni Deus hoc malum „auertat, totus orbis Christianus inui„tissime Atheus." Neque etiam aliter iudicare potuit Harduinus. Nam ex illius sententia "re ipsa nihil nisi Atheis„mum docet sub vocibus Christianis, qui „Augustini nomen assumsit ac praefert." Ne vero vlla huius mysterii pars lectori ignota

ignota sit, Harduinus historiam quasi p. 15. contexit huius in capite male sano enatae sententiae: "Nos mense Augusto a. 1690. „coepimus in Augustino et aequalibus „fraudem subodorari: in omnibus men- „se Nouembri suspicati sumus: totam „deteximus mense Maio anni 1692 post- „linis et singulis scriptoribus Graecis „Latinisque descriptis exceptis: quo in „labore paene ad fastidium, sed inter- „iecta saepe summa ex vero detecto „oblectatione, desudauimus." Nun- quam profecto cogitauit, turpissimum esse, difficiles habere nugas.

Sed paullo post rem ipsam Hardui- nus adgreditur impiaeque cohortis scelera enarrare incipit. Primum igitur p. 19. docet, "θεομάχους eos fuisse scriptores „*omnes*, quorum opera circumferantur „usque ad natam saltem typographiam." Inde commemorat eorum opiniones, e quibus apparere putat, "*non coli ab his* „*Deum verum.*" id quod etiam de Calui- p. 21. „nianis, Lutheranis et Iansenianis iu- dicandum esse existimat. Nam non pa- rum illis irascitur, vehementissime vero veterum librorum scriptores execratur. nec sine causa. Persuasit enim sibi certissime: "Formam religionis ab isto p. 24.

„*con-*

p. 31. „*conscelerato grege* inductam, merum
„esse gentilismum." — Tum ingen-
tem multitudinem librorum a *coetu im-
probo* fictorum commemorat, ad quos
patres inprimis, vt appellant, ecclesia-
p. 33. sticos refert. Cur vero tot libros ef-
finxerint pestiferi isti homines, luculen-
ter ostendit, et, quam necessarium iis
fuerit, plures suarum opinionum testes
colligere, docet. ".Nullum enim, ait,
„est ex iis voluminibus, quod, si se-
„iunctim spectetur, non illico damne-
„tur, vt haereticum atheumue." Fin-
gendos fuisse et aduersarios, Arianos,
p. 35. Manichaeos, Donatistas: callidissime
omnia istos *nebulones* egisse. Nun-
p. 51. quam Ecclesiam iis patribus, quorum
nomina libri, qui nunc exstant, praefe-
p. 52. rant, eos tribuisse: nullum esse impio-
rum et prauorum hominum eximendum
numero, omnes reiiciendos: omnes
esse *daemones transfiguratos in ange-
p. 58. lum lucis*. Nec sine clamore res agi-
tur. Vehementer auctor rhetorica-
tur, atque tragoedias agit: "Eheu! quo
„sanctissima Religio recidit? non iam
„quaeritur, non iam Christiani sata-
„gunt, quid Christus docuerit, quid
„Petrus, quid Ioannes, quid Paulus
„sense-

„ senserit: sed quomodo qui creditur
„ Augustinus Christi vel Petri, Ioannis
„ vel Pauli verba intellexerit?" Qui- p. 68.
bus dictis alia hominum impiorum cri-
mina recensentur: deprauasse eos sa-
cram scripturam: Graeca et Hebraica
verba corrupisse: solam vulgatam vt
aiunt, versionem bibliorum intactam vt
relinquerent, necessitate compulsos fuis-
se. Ante seculum XIV. non habuisse p. 77.
Graecos biblia, nisi Latina, nec Litur-
giam, nisi Latinam: esse Graeca biblia
incredibiliter corrupta "compositaque
„ ad hypothesin impiam, quae Deum
„ esse aliquem verum negat." Post bel- p. 89.
lum Deo ipsi indictum, hos quoque terrae
filios, vt summi Pontificis auctoritatem
ac potestatem imminuerent, vehemen-
ter elaborasse; vim *traditionis ecclesiasti-* p. 96.
*cae* esse summam, atque hanc omnium
reliquorum testium necessitatem tollere:
nec requiri *scriptam traditionem:* con-
tentos nos esse debere doctrina, quae
ore a maioribus tradita sit posteris. *Si* p. 103.
*stare debet, ait, religio testimonio scri-
ptorum librorum, actum est de summa re-
ligione.* Nempe ita omnes existimant,
qui superstitionem et tyrannidem aulae
Romanae defendunt. Post corrupta p. 124.
biblia

biblia et Graece conficta fraudulentam cohortem formam officio Ecclesiastico et sacrae liturgiae falsam dedisse. Acta
p. 134. Conciliorum corrupta quoque fuisse, vitasque martyrum ab iisdem in tenebris
p. 155. excogitatas. Quia etiam pontificum et synodorum auctoritate saepe patribus non parum tributum est, se huc atque illuc versat, nec suae causae quidquam illa testimonia obesse ostendere conatur. Hac re feliciter perfecta, audacter adversus omne scriptorum genus armis et
p. 169. igne grassatur. Primum historicis cuiusque generis bellum indicit. "Nullam esse magis fabulosam historiam, „quam quae res ecclesiae duodecim priorum seculorum complectatur." Neque potuit melius existimare de antiquis poetis, qui quam exigua laude digni sint, unus omnium optime intel-
p. 180. ligit. "Mambruni nostri ait Constantinus Aeneidi haud impar est: Sarbieuii Odae Horatianis sunt potiores." Haec nisi dixisset auctor, quaerere profecto aliquis potuisset, cur Harduinus, qui omnia, quae huc facerent, exposuit, non docuerit, quomodo istis temporibus, quibus summa barbaries terrarum orbem oppressit, a monachis ele-

gantissima

gantissima ingenii monimenta effici potuerint? Sed vt is, qui antiqua carmina nulla laude digna iudicaret, copiosius ostenderet, monachos obesos ea scribere potuisse, non opus fuit. Impiae vero cohortis omnes artes probe cognitas habuerit necesse est, Harduinus. Nam quaecunque ad illam pertinent, narrat. Scripta Graeca ficta videri Venetiis: Papiae fuisse partem magnam improbae factionis: tempus fingendi incidisse in sec. XIV. XV. et XVI. ab a. 1350. circiter vsque ad a. 1480. fictos fuisse, quotquot habeamus, scriptores inprimis vero Pontificum libros decretales, Extrauagantes etc. chartas antiquas suppositas esse sub Philippo Pulchro, plures sub Philippo Valesio: officinas harum fraudum fuisse Corbeiam, coenobium S. Vincentii Parisiens. Sandionysianum, Floriacum, Luxouium, in Italia Bobiense; Casinum. Immo omnes bibliothecas narrat, quo, quaeritis, auctore? nescio profecto, sed narrat Harduinus, monstra horrenda aluisse. "Omnes ait bibliothecae monasteriorum nil aliud fuere ante inuentam typographiam, nisi totidem armamentaria atheismi et haeresium."

p. 187.
p. 192.
p. 195.
p. 196.
p. 198.

Sed relinquit tamen quosdam nobis veterum auctorum, paucos quidem, sed nonnullos tamen. Arrigamus igitur aures: e Latinis Plautum, Plinium, Virgilii Eclogas nouem cum Georgicis, Horatii Satyras et epistolas, e Graecis Homeri Iliadem et Odysseam, Herodoti libros nouem antiquo ex aeuo superesse dicit. Aliis in locis, vbi eandem cantilenam cecinit, Ciceronem quoque integrum et saluum reliquit. Sed hoc ex libro videmus, poenituisse hominem mitioris iudicii.

Quodsi vero scire cupiamus, quomodo factum sit, vt haec fraus tamdiu lateret, bene et acute multa respondet p. 199. Harduinus. "Quomodo ex ea scelesta „coitione nemo resipuit, nemo arca- „num retexit? quia, qui Deum ne- „gauit, vix resipiscit." Nam, quod monendum est etiam atque etiam, nil fuit isto coetu, qui antiquos scriptores finxit, deterius, nihil peius. Nemo igitur mirari debet, maxima illum humano generi intulisse mala. Illa turba p. 212. procreauit omnes errores, quibus hominum animi corrupti fuerunt: illa peperit odia, dissidia, discordiam. Antea omnia pura, placida, tranquilla. "Nulla

„ fuit

„fuit publica haeresis nulla publica per-
„secutio fuit in Ecclesia; ex quo fun-
„data est Ecclesia gentium deletaeque
„synagogae vsque ad Wiclefum. —
„Quae leguntur in libris haereses fictae
„sunt, vt per speciem eas oppugnandi,
„stabiliatur ἀθεότης." Atque etiam
effecit improbus coetus, quae meditabatur, atque virus pestiferum longe lateque disseminauit. Hinc hominum animi infecti deterrimam Atheismi doctrinam conceperunt. "Haeresium p. 225.
„omnium, quae nunc sunt, notissimae,
„Lutheranae, Caluinianae, Socinianae,
„Iansenianae, idem et commune prin-
„cipium est Atheismus."

Breuiter commemorauimus totius libri argumentum. vnde praeter alia clare apparet, Harduinum parum candide professum fuisse (*), se mutasse animum, atque opinionem hanc de antiquis scriptoribus ipsum damnasse. Nam luce meridiana clarius est, eum non solum illam retinuisse animo, sed exornare quoque et firmare studuisse.

Ipsum vero Harduini consilium nullo modo attente hunc libellum perlegenti

T 2 obscu-

(*) a. 1708. v. Acta Erudit. a. 1709. mens. Mart. p. 118.

obscurum esse potest. Nil enim aliud spectauit, nil egit aliud, quam vt omnem historicis antiquis fidem eriperet, atque pontificiae superstitioni arma traderet, quibus libertas hominum vinci posset. Hinc ipsius Sacrae Scripturae auctoritatem, licet admodum callide, eleuare studet; hinc vbique doctrinam per manus aut ore traditam a maioribus commendat. Vno verbo: acumen ingenii, libertatem sentiendi, rationis vim opprimere, tyrannidem, superstitionem, et vtriusque cum comites, tum parentes, stuporem et ignorantiam, vbique stabilire conatur.

p. II. 57.

Ne vero quisquam suspicetur, nos iniuriam facere famae et memoriae Harduini, adscribam locum memorabilem, qui totam illius sententiam complectitur.

p. 60. Nil potest eo clarius esse, nil aptius ad perspicienda viri consilia.

„Quam valde optarem inquit, vel „a sancta sede Apostolica vel a sa„cra." (nempe eo sensu *sacram* dicimus saeuissimum concilium, quo Virgilius *auri famem* appellauit *sacram*) Congregatione Inquisitionis exire simile edictum huiusmodi! *Quoniam lites infinitas et interminabiles excitant Theologi*

*logi super dictis veterum; quae lites dum videntur excitatae ad tuendam fidem, extinguunt in aliis fidem, in aliis charitatem: et quoniam de multorum eiusmodi scriptorum sinceritate vel νόθεια a multis non ineruditis disputatur: prohibet sancta sedes, ne deinceps vel in scholis, disputationibus ac thesibus Theologicis aut in Concionibus vel libris scriptis aut editis citentur scripta illa, quae Patrum vel Doctorum Ecclesiae vulgo appellantur, donec de illis a Sancta Sede Apostolica definiatur ac statuatur. Prohibet etiam, ne legantur, praeterquam a doctoribus, quibus ea legendi fecerint potestatem Episcopi, sed ab iisdem doctoribus prius requisita per episcopos protestatione, se firmiter adhaesuros sacrae Editioni bibliorum a Clemente VIII. vulgatae, Concilio Tridentino, Constitutionibus sedis Apostolicae aduersus omnes haereses et libros haeresi fauentes ~~a Wiclefio~~ usque ad libros proscriptos a Benedicto XIII. inclusiue. Prohibet denique, ne in iisdem scholis, disputationibus, concionibus, libris etc. citentur scriptores ulli recentes, qui quod affirmant, praedictorum scriptorum veterum auctoritate*

 *tuean-*

*tueantur, aut alio in rebus ad religionem pertinentibus testimonio utantur, quam aliquo e proxime memoratis: vulgatis nimirum bibliis, Concilio Tridentino, Traditione non scripta et Constitutionibus summorum Pontificum modo indicatis.* "Proh! quantam Ecclesiae pa-„cem afferret tam Catholicum tamque „Apostolica dignum sede decretum."

Quid est hominibus libertatem eripere, et intolerabile durissimi servitii iugum iis imponere, si hoc non est? Nonne, si etiam nesciremus Harduinum Iesuitam fuisse, tota haec machinatio quemuis doceret, adscriptum eum fuisse istis, qui frustra animi indolem nomine occultare cupiunt, quae quo studiosius ab ipsis absconditur, eo magis eminet et apparet?

---

V. Theo-

## V.

**Theorie der schönen Künste und Wissenschaften; ein Auszug aus den Werken verschiedener Schriftsteller: von *Friedrich Just Riedel.***

Ienae, ap. C. H. Cunonem, 1767. pagg. 403. 8.

Multos si nanciscerer libros aeque iucundos, aeque elegantes variaque eruditione plenos, ac Riedelianus, quem in manibus habeo, est, nunquam me poeniteret consilii, quod olim, nescio quo Deo, procul dubio autem non amicissimo paci concordiaeque fauente mortalium, hunc mihi animum inspirante, cepi, Acta scribendi litteraria. In tanta tamen multitudine libellorum, quorum lectio aut omnino odiosa est, aut minus animum delectat, licet interdum melioribus mentem recreare, fastidiique ab illis motum excutere. Fatigatus cruciatusque malorum scriptorum nugis ad amplexus eorum fugio, quorum in sermonibus omnes istas molestias deponere licet. Quidni enim existimem, *Riedelium*, virum non so-

lum ingeniosum, acutum, eruditum, sed, quae res inprimis me delectat, amicum quoque nobis, de artium litterarumque natura et studiis ita mecum locuturum esse, vt obliuiscar interim nauseae molestiam laetusque et alacris discedam? Et sunt profecto omnia ea, quae de litteris dixit, et summa laude digna et periucunda lectu. Nam primum vir acutissimus optimos et prisci aeui et recentioris aetatis scriptores legit cognouitque: tum adiunxit huic lectioni Philosophiae admodum sapiens studium, quod non inani formularum interpretatione ridiculisque de rebus nullius momenti concertationibus absolueretur, sed naturae mentique humanae indagandae intentum esset: denique sententiam suam de multis rebus ita exponit, vt facile egregia praeclari ingenii vis appareat. Dicendi quoque genere vtitur eo, cui nihil insit illius frigidae et puerilis affectationis, quae nunc quorundam libros deformat, et dum puerilibus sententiolis lasciuit aut casuris, si leuiter excutiantur, flosculis nitet, facile imperitorum animos allicit. Sequitur quidem vir Cl. interdum alios viros doctos, Homiumque, qui inter Anglos subtilissime de litteris

litteris scripsit, ducem sibi inprimis elegit. Sed et illorum sententiis ita vtitur, vt facile pateat, ipsum Auctorem ea omnia dicturum fuisse, si nondum ab iis fuissent dicta, et addidit multa, quorum laus ad Riedelium solum pertinet.

Mihi quidem cognito libri argumento perspectaque subtili, qua litterarum naturam et praecepta explicat, ratione, lubuit admirari, vt iam aliquoties feci, insignem, quam Philosophia ex artium litterarumque studiis percepit, vtilitatem. Nam dum viri docti causas indagant, cur quaedam nobis placeant, alia displiceant, dum illas causas ex animi nostri natura repetunt, dum sollerter omnes animi motus attendunt et, quomodo aut suauiter afficiamur aut minus iucunde, obseruant, incredibile est, quantum natura animi nostri illustretur quantaque lux omnium obscurissimae doctrinae affundatur. Eadem vero nouarum opinionum copia, quae non potuit non noua quoque verba gignere, iam aliquoties nos impediuit, quo minus argumentum quorundam librorum recenseremus. Certe nulla alia de causa Homii nullam mentionem fecimus, quam

quod et Latinam linguam saepius non sufficere videbamus exprimendis viri subtilis sententiis, et nouorum verborum fingendorum copiam nobis non datam esse existimabamus. Nam si vel licentia pudenter sumta nobis daretur, nec reiicerentur verba parce detorta Graeco fonte, verebamur tamen, ne obscura foret nostra oratio lectoribus. Ideo etiam expressam Riedeliani libri imaginem nemo a nobis exspectabit: tenuem argumenti adumbrationem, summa rerum capita secuturi, exhibebimus. Ipsum enim librum silentio praeterire non potuimus, tum quia exteris innotescere cupimus eos libros, quibus gloriari potest patria nostra, tum quod gratias agere voluimus auctori, cuius doctis et iucundis sermonibus suauiter delectati fuimus. Sed vel breuis argumenti recensus sat praestantiam libri declarabit.

Laudauimus supra in Viro Cl. philo-
p. 1-14. sophiae studium. Ad illius amorem inuitat lectores in prooemio, vbi viros doctos adhortatur ad coniungenda Philosophiae et literarum studia, ostenditque, et artificem et poetam philosophia opus habere, non ea, quae ex compendiis hauriatur, sed quae humanam

naturam obseruet animique indolem diligenter scrutetur. Quae quidem omnia sapienter Auctor dixit, cuius vt doctrina ingeniis illius vrbis, vbi nunc versatur, vbi antea nemo versatus est, qui tam eleganter philosophatetur, vtilis sit, optamus. Tum p. 15-32. de artibus et litteris in vniuersum agit, pulchrum esse, quod placeat, docet, quid deforme sit explicat, differentiam pulchritudinis, quam natura procreat et offert, et pulchritudinis, cuius speciem ex pluribus collectam animo concipimus, ostendit, diuersam artium et litterarum indolem declarat, atque cum illarum partes tum harum recenset et describit. Mox pulchritudinis notionem ita euoluit, vt, quibus illa constet partibus, videamus. Quae quidem omnia tanquam fundamenta considerari possunt, quibus reliqua nituntur. Primum vero declarat, quid sublime et magnum sit, atque naturam, fines, vim, indicia, varia genera, sublimitatis indicat. Agit de sublimi, quod rebus ipsis inest, et de eo, quod sententiae habent: vitia sublimitati contraria enarrat, atque poetam altius surgere posse artifice sublimiusque opus perficere obseruat. Eadem p. 65-76. elegan-

p. 33-36. p. 37-64.

elegantia progreditur ad varietatem, vniformitatem mediamque inter vtramque viam. Illi, cuius opera varietatem illam felicem praeferant, adesse debere, copiam ingenii, facilitatem, vigorem, non statim fatigandum, praesentiam animi. Haec enarrantur vna cum vitiis il-
p. 77-90. lis oppositis. Magni momenti caput sequitur, quo natura simplicitatis, omnem nimium ornatum fugientis, felicitasque ingenii, summam pulchritudinem sine specie laboris assequentis, placentisque, non obseruato placendi studio, describitur. Amabilem quoque illam negligentiam, sub qua sententia pulchra et grauis, cui summa simplicitatis species est, latet, pingit, atque, vt solet, vitia, quae contra huius capitis praecepta commit-
p. 91-131. tantur, commemorat. Copiosissime vero agit de vrbanitate, aut, si mauis, sale Attico, aut Anglorum insigni arte, ita ineptiendi, vt sapientiam occultet singularem ridicula species. Ipsum Auctoris ingenium Satyris, risu et ioco delectari, facetias et lepores amare, patet, si legeris ea, quae de ridiculo scripsit. Inprimis ostendit, quid ridiculum sit, quidque deridendum: quomodo versetur ingeniosus homo in rei ridiculae imita-

imitatione aut exagitatione, quotque
sint Ironiae genera. Multa inprimis
exempla Auctori praebuit Anglia. Pro- p. 132-
peramus cum Auctore ad caput de simi- 140.
litudine et dissimilitudine. vbi recte no-
tat, Graecis displicuisse in artificibus
nimiam curam, qua similitudinem rei
assequi studuerint. Examinantur etiam
opiniones quaedam Cl. Lessingii, quas
in libro eleganti, quem inscripsit, Lao-
coon, proposuit. Inuitatus vero ar- p. 141-
gumenti grauitate addit complura de 154.
facultate, res ita repraesentandi, vt eas
praesentes habere videamur, atque de
imitatione, vbi similitudo et dissimili-
tudo simul adest. Sententiam suam di-
cit de deformitatis imitatione, atque
de illa arte, quae rem tantum ipsam a
natura sumit, sed eam sic polit et or-
nat, vt ipsa natura eam ornatura fuisset,
nisi pulchritudo saepe cedere debuisset
perfectioni. In hoc capite multa sa-
lutaria artificibus praecipiuntur. Non
minus digna lectu sunt, quae sequuntur.
Agit Vir Cl. de eo, quod nouum, inex- p. 155-
spectatum et mirabile est, variis ho- 179.
rum omnium gradibus indicatis causis-
que, cur animum moueant: tum de p. 180-
veritate, probabilitate et fictione, vbi 227.

quid

quid verum cenſendum ſit in artibus, diſcimus, quaeque ſit fabulae natura. Recte refutantur, qui ſententiae alicuius commendandae cauſa Homerum putant Iliada ſcripſiſſe. Multa etiam occurrunt de mythologia, de obſeruatione eorum, quae loco alicui, tempori, homini propria ſunt, de machinis, de numinibus allegoricis, de auctoritate vetuſtatis, de vnitate. Sequentia et ad
p. 228- artifices et ad poetas ſpectant. Com-
241. plectuntur egregia praecepta de lumine,
p. 242- vmbra, colore. Qui conuenientiam
256. omnium partium inter ſe, dignitatemque cognoſcere, aut quid decorum ſit, intelligere cupiat, illi Auctor ſatisfaciet. Bene praecipit, perfectam omnibusque numeris abſolutam virtutem non
p. 257- eſſe poetae exprimendam. Sed nul-
323. lo loco magis oſtendit vim ingenii et naturae humanae ſcientiam, quam in cap. XVI. Namque hic de cauſis affectuum motuumque agit ſubtiliſſime, et quomodo illi excitandi ſint, oſtendit. Quod caput commendamus etiam at-
p. 324- que etiam. Vehementius mouemur
339. lectione carminum quorundam aut hiſtoriarum, dolemus, laetamur, immo lacrymamur. Quomodo hi motus excitentur,

citentur, Auctor docet ita, vt et expli-
cet, quae omnes omnino moueant, et
quae aetatis alicuius, nationis religionis-
que propria sint, indicet, atque etiam
quid illam vim impediat, narret. Pla- p. 340-
cent, quae Auctor dicit de Venere, quam 351.
χάριτα Graeci appellant, quae in cor-
pore eminet, tum fere a solo artifice
exprimenda, et sensibus spectatur at-
que actionibus, cuius imaginem Vzio,
Gessnero, Gleimio, ostenderunt Gra-
tias, vt essent illius pictores. His ele- p. 352-
ganter dictis transit ad minutiora, qui- 368.
bus carmen nitet, ornamenta, ad figu-
ras et tropos. vbi nemo ieiunum figu-
rarum indicem exspectabit, quem me-
rito Grammaticis Auctor reliquit. De
allegoria hoc loco quae disputat, valde
mihi probantur. Vbi vero de disposi- p. 369-
tione operis vniuersi rerumque in sen- 376.
sus incurrentium ordinatione loquitur,
semel haesi. Alii iudicent, an Auctor, p. 375.
qui docet, artifici, quia eius opera per-
maneant, non mutentur, et semper ean-
dem speciem habeant, nil fingendum,
quod omnibus momentis mutetur, res-
que tantummodo proponendas esse, sal-
tem aliquantisper statum suum et con-
ditionem seruantes, iure vituperet gem-

mam,

mam, in qua Actaeon, in ceruum mutandus, iam cerui caput praefert, an merito ridiculam appellet tabulam, ni fallor, (nam Montfauconus parum, vt solet, accurate eam descripsit) marmoream, in qua Daphae iam radices ramosque emittit (*). Hoc scio, nec veteres, nec recentiores artifices ab eiusmodi imaginibus abhorruisse. Quis ignorat statuam Daphnes celebrem in hortis Borghesianis (**), quam Bernimius, octodecim, si recte memini, annos, natus, fecit? Exhibet vero illa Daphnen iamiam in laurum mutandam. Atque etiam in gemma antiqua (***), quae Phaetontis casum exhibet, brachia puellae iam in frondes protenduntur. Nam sorores illius in populos mutatas omnes norunt. Si argutius disputare velimus, nonne ostendi possit, Daphnen eodem iure ea specie pingi fingique potuisse, quo auis per auras volitans aut quadrigae in circo actae pinguntur?

(*) v. Montfaucon *Antiqu. Expliqu.* T. I. tab. 52. n. 11.

(**) v. *Raccolta di Statue Antiche e moderne data in luce da* Domenico de Rossi: tab. LXXXI.

(***) v. *Thes. Brandenburg.* T. I. p. 209.

guntur? Forte melius eſt, in his popula-
res errores ſequi, (nam et poetae hanc
veniam damus et poetarum arbitris)
quam ſubtilius omnia examinare. Sed
pergamus. Pauca enim dicenda ſunt
de duobus, quae reſtant, capitibus. In p. 377-
altero Auctor de externa operis facie 390.
agit ſermoniſque cum vitiis, tum virtu-
tibus: in altero de ingenio ſenſuque veri p. 391.
et pulchri. quod caput egregiam exhibet p. 395.
picturam ingenii, venuſtatis capacis.

Sic paucis adumbrauimus libri vti-
liſſimi elegantiſſimique argumentum.
Multo plura mihi dicenda eſſent, ſi
exemplis quibusdam acutum et perſpi-
cax viri Cl. ingenium declarare aut to-
tam quaſi ſeriem et compagem ſenten-
tiarum exhibere voluiſſem. Interim re-
creatus vehementer ſuauiſſimis ſermo-
nibus nunc eo alacrius redibo ad iſtam
turbam ſcriptorum, tanto mihi maiores
moleſtias allaturam, quanto diſſimilior
eſt *Ridelii* mei. Sed imperioſa tra-
hunt fata!

## VI.

*Henrici Griffet*, e Societate Iesu, Varia Carmina.

Leodii typ. I. C. Bassompierre, 1766. pagg. 111. 8.

Haec si carmina iis seculis edita fuissent, quibus omnia, quae Latino sermone exarata essent, licet nihil haberent egregii, nihil, quod animum moueret aut delectaret, placuerunt, nisi magnam laudem tulisset, certe a nemine reprehensus fuisset auctor. Namque maiores nostri nimis liberaliter quemcunque librum Latine scriptum laudabant, atque in poeta non tam spiritum et acrem vim, sententiarumque lumina, quam sermonem, quo vsus erat, spectabant. Laudi etiam ducebatur, longiora veterum scriptorum loca excerpere, praesentique argumento accommodare. Verum mutata ratio est, quique nunc viuunt sapientius Critici de his libris iudicant. Non, quo sermone vsus sit poeta, Latino an Theotisco, quaerimus, non ita laudamus elegans et Latinum dicendi genus, vt inanes sententias et nugaces versus obliuiscamur, non

adeo

adeo verborum puritate afficimur, vt totos versus Virgilio aliisque surreptos aequo animo legamus, sed reliquas quoque virtutes, quibus immortalia Latii ingenia, quae se imitatum esse profitetur, excelluerunt, ab illo postulamus.

Parum igitur laudabitur *Griffetus* noster, cuius carmina magis veterum poetarum lectorem, quam poetam, magis memoriam fidelem et obsequiosam, quam ingenii vim ardoremque, spirant. Sumsit ille ab antiquis permulta, non vt solent ingeniosi veterum imitatores, sed vt mos est eorum, qui, quod dicant, ipsi habent nihil, multaque tamen dicendi cupiditate laborant. Inde nil egit saepe aliud, quam vt Centones contexeret e Virgilianis versibus. Qua arte vero vsus sit, iuuat exemplis aliquot ostendere. Adscribemus Virgilianos versus, vt cuique existimandi sit copia, quo nomine carmina Griffeti quaue laude digna sint. Sat tragice igitur Griffetus noster:

*Verum heu! quis nostras subito fragor impulit aures?* p. 38.
*Fallor? an impositi crepitant incudibus enses?* (*)

U 2 *Aera*

(*) Georg. IV, 540.
*Impositos duris crepitare incudibus enses.*

Aera tonant, clypeum Mars arripit atque furentes,
Bella mouens immittit equos (*), perque horrida castra
Perque acies actosque animis in funera reges (**)
Sanguineum quatit exultans Bellona flagellum — (***)
Adspicis ut squallent abductis arua colonis, (†)
Cultoresque suos tellus inarata reposcit? —
Tum vero surgent iterum Saturnia mundo
Saecula, et incipient aureo procedere cursu,
Tum quoque felices terras Astraea reuisset (††)
Diique Deaeque omnes — Spirantia mollius aera
Excudent alias vivosque e marmore vultus. etc. (†††)

Cuius

(*) Aen. XII, 330.
*Sanguineus Mauors clypeo increpat, atque furentes Bella mouens immittit equos.*

(**) Aen. VII, 42.
*Dicam acies actosque animis in funera reges.*

(***) Aen. VIII, 703.
*Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.*

(†) Georg. I, 505.
— *squalent abductis arua colonis.*

(††) Ecl. IV.
— *redeunt Saturnia regna.*
— *toto surget gens aurea mundo*
— *et incipient magni procedere menses.*

(†††) Aen. VI.
*Excudent alii spirantia mollius aera.*
— *viuos ducent de marmore vultus.*

Cuius quaeso artis, cuius ingenii est, eiusmodi versus consarcinare? Estne hic

*Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,*

quo excitatus Griffetus hos versus conscripsit e Virgilio, aut estne credibile, agitante Musarum Deo incaluisse pectus hominis?

*Cui mens divinior atque os*
*Magna sonaturum des nominis huius honorem.*

Sed plane versuum scribendorum consilium Griffetum abiicere debuisse, quemque lectio carminum docebit. Omnia in his languent: omnia vulgaria et quotidiana: nihil noui, nihil eximii: omnia sermoni propiora. Forte virium imbecillitatem ipse auctor animadvertit, ideoque carminibus philosophici argumenti scribendis bonas horas perdere, quam maiora frustra tentare, maluit. Sed non intellexit profecto, non cuiuis datum esse, argumenti alicuius grauitatem suauiter exhilarare et feliciter illum aemulari, qui

*obscura de re tam lucida pangit*
*Carmina, Musaeo contingens cuncta lepore.*

Ne vero ignorent lectores argumenta carminum, breuiter ea indicabimus.

I. *Lacryma.* Carminis argumentum ipse Auctor declarat:

*— fletus*
*Naturam, caussas, dotes, vsumque docebo.*

Praebet profecto res ipsa non malignam ingenii ostendendi materiam. Sed noster poeta nil praestitit, quod bis legere iuuaret. Meliores reliquis sunt illi versus, vbi de lacrimis regum agit. quanquam quis non videt, multo praestantius eandem rem maioris ingenii poetam cantaturum fuisse?

*Nec vero ex oculis tantum* vulgaribus *imber*
*Ille cadit: lacrymam* possunt *quoque fundere Reges*
*Nec tam saepe inopum solet haec manare per ora;*
*Regales vultus amat ambitiosa rigare.*
*Quid loquor? ah! quoties vis imperiosa pudoris*
*Flere vetat!* Regem atque hominem simul esse puderet.
Ad pompam *rident, pressus dolor acrius vrget.*

*Ah!*

*Ah! sortem regum nolite optare coloni!*
*Nam vestras lacrymas rex inuidet. Ergo age vatem*
*Musa, mone, regum turres inopumque tabernas*
*Ingredere et puerorum oculos oculosque seniles*
*Inspice: communi manabunt* vndique *fletu.*

Sunt etiam in his versibus, quae non satis Latina sunt. Nam, quod supra iam monendum erat, puritas sermonis non sat diligenter vbique ab auctore obseruata fuit. Nunquam vero propius ad linguae Latinae ingenium accedit, quam quoties veterum poetarum alicui clanculum formulam aut versum aliquem eripere licuit. Nonne laudandi sunt hi versus:

*Regulus ipse sui victor victorque senatus*
*Dimouet obstantes natos, vultumque virilem*
*Toruus humi figit, properat fortissimus exul?*

Sed, si his versibus laudem integram relinquere velimus, obliuiscamur, necesse est, Horatium iam cecinisse de Regulo: *Fertur — paruos natos ab se remouisse et virilem toruus humi posuisse vultum.*

*vultum. — Egregius properarit exul. — Dimouet obstantes propinquos.* His igitur formulis coniunctis non malos versus, quanquam non sine sudore, scripsit Griffetus, qui, cum se nec ingenio nec Latinae orationis facultate pollere animaduerteret, quidni potius omnino a versibus scribendis abstinuit? Sed

*Vt nemo in sese tentat descendere!*

II. *de arte regnandi:* Quis mirabitur, Griffetum malos versus fundere, vbi cognouerit, non Apollinem, non Musas, sed Iunonem Monetam ex illius sententia studiis praeesse facultatemque poeticam ingeniis inspirare?

*Quae vero Aoniis habitant in vallibus artes*
*His facile impendat, tuto rex prodigus, aurum.*
*Nam sua cum Princeps renuit dare praemia Musis*
*Parnassi steriles campos ieiunus Apollo*
*Deserit et tristes languent sine voce Camoenae.*
*Olim scribendi stimulos pretiumque laboris*
*Praebuit Augustus:* nummi fecere poetas:

*San-*

*Sanguineis, quas iam tulerat gens Martia, lauris.*
*Pacificas lauros diues coniunxit Apollo,*
*Romaque Caesaribus mixtos enixa Marones.*
*Atque eadem nuper miracula Gallia vidit.*
*Annua cum Lodoix Magnus stipendia Musis*
*Solueret: e solio in Pindum pluit aureus imber,*
*Et laeto in vates se germine terra resoluit.*

Quouis pignore contendere ausim, si Griffetus pro quouis versu tot numos offeras, quot olim Virgilius, cum Marcelli mortem diuine defleret, accepit, illum tamen nunquam vnum scripturum esse, qui Virgilianis similis sit? Miras ille sententias conceperit animo oportet de ingenio et poetis, qui tantam pecuniae et numis vim tribuit. Certe non recordatus est, omnes prope poetas vna voce cantasse:

*Diuitias alius fuluo sibi congerat auro*
*Et teneat culti iugera magna soli etc.*

III. *de variis animi affectibus.* Nil magis amare auctor videtur perspicuitate. Nam sat claris verbis semper argumentum carminis exponit nec vllam lectori dubitationem relinquit.

*Sed vt ordine cuncta reuoluam*
*Dicam animi affectus et quo sint fonte profecti*
*Quot varii effectus, quae sit medicina, docebo.*

Inter multos mediocres et malos versus eminent quidam, quos huc transferemus, ne auctor nos tantum vitia carminum notasse, queri possit:

*Quidquid agunt homines, proprio ducuntur amore.*
*Ille animo illudens formas se vertit in omnes:*
*Hunc si forte domas, vno sub nomine victum*
*Hostem ne credas, alio sub nomine vincet.*
*Et fugit et refugit, latitat, subitoque resurgens*
*Virtutis speciem assumit laruamque doloso*
*Ore gerit simulans: sed ne sis credulus illi.*

Sed mox ad se ingeniumque auctor redit. — Quae sequuntur carmina, scholasticas exercitationes redolent. Videtur Auctor discipulis suis exempla narrationum dare voluisse, aut rationem versuum scribendorum iisdem tradere.

IV. *Ioseph a fratribus venditus.* V. *Ioseph somniorum Pharaonis interpres.* VI. *Ioseph a fratribus agnitus.*

VII.

VII. *Esther coram Assuero tremebunda corruens.* VIII. *Ensis filo suspensus.* IX. *Nerei vaticinium ad Antonium Aegyptum petentem.* Hoc carmine Horatium imitari auctor voluit. Sed paullo maiora aggreditur in carmine sequenti, quod inscribitur *mors Cleopatrae.* Nam de palma certare videtur cum Flacco, quem cum ingenii vi et orationibus grauitate vincere nequeat, verborum copia vincere studuit. Scilicet contractum et pusillum Flacci ingenium, qui haec pauca dixit:

*ab Italia volantem*
*Remis adurgens, accipiter velut*
*Molles columbas aut leporem citus*
*Venator in campis niualis*
*Aemoniae:*

cui non displiceat prae splendidis Grisseti diuitiis?

*Ac veluti, vario indulgens per nubila gyro,*
*Accipiter teneram adspexit si forte columbam,*
*Improuisus adest, et rostro atque vngue minax stat;*
*Aut qualis trepidum leporem totisque trementem*

*Artu-*

*Artubus insequitur venator, at ille sequentem*
*Per campos perque arua leuis fugit, ocyor Euro*
*Haud aliter Reginam vrget victricibus armis*
*Caesar.*

Nobis tamen in mentem venit illud: *O Dii immortales, non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia!* Interim sodalibus, quibus procul dubio haec recitauit auctor, forte placuit haec ingenii abundantia. Nos illam nemini inuidemus, neque dicimus quidquam de carmine, quo cecinit vitae rusticae laudes, inepto et miserabili studio contexto ex Horatii et Virgilii versibus, neque *de Annibale inter Capuae delicias otioso*, neque *de Andromache filium Astyanacta in tumulo Hectoris occultante*, neque *de Mario inter Carthaginis ruinas sedente.* Haec qui carmina meliora iucundioraque lectu censeat, nostro iudicio diffisus, ille, vt ipse ea legat, optamus. Poenitebit, ni fallor, bonum virum increduli ingenii.

VII.

## VII.

L'Enlevement de Proserpine, Poëme de Claudien, traduit en Prose Françoise, avec un Discours sur ce poete & des Remarques par *M. Merian*.

Berolini, sumt. societatis typographicae, a. 1767. pagg. 280. 8.

Lubenter comitamur clariss. *Merianum* in riguos hortulos aut gelida Musarum nemora, vbi, postea quam diem totum *tetricae Mineruae* dedit, animum relaxare suauibusque veterum poetarum carminibus seueriorum studiorum rigorem emollire atque mitigare iuuat. Huic secessui certe debere videmur non inelegantem huius carminis interpretationem, cui multa Vir Cl. addidit, quae diligentem auctorum antiquorum lectionem ingeniique non exiguam amoenitatem testantur.

Primum locum obtinuit disputatio de Claudiano, cuius de patria et vita loquitur. Inprimis vero, an Christianae doctrinae addictus poeta fuerit? quaerit. Vbi nimium tribuere videtur argumento, quod ex ipsis Claudiani carminibus, p. 1-108. p. 13.

minibus quidam reperiunt. Nam quod Stilico, pugnam initurus, non Iehouam, ſed Martem precibus veneratur, quod alia immiſta ſunt verſibus profanae doctrinae capita, hinc nihil certi elici poteſt. Quid ſi enim haec nomina peregrina ornamento carminis fore exiſtimauit? Nonne quamplurimi poetae recentiori aetate idem fecerunt, immo nonne multi hodie fabulis Graecorum et Latinorum repetendis ſummam ingenii laudem aucupantur? Multo melius
p. 17. placent quae ſequuntur. Nam non improbabile cenſet, carmina Chriſtiani argumenti Latina (Graeca enim manifeſta fraudis documenta oſtendunt) ab ipſo Claudiano compoſita fuiſſe. Miram tum Chriſtianae doctrinae fuiſſe ſpeciem: ſuperſtitionem antiquam auctam fabulis nouis: miſere abuſos religionis ſpecie homines ad perficienda conſilia ſua: multos modo profanam, modo Chriſtianam doctrinam, prout tempus ferret aut commodum et vtile videretur, profeſſos. Horum potius e nu-
p. 25. mero Claudianum fuiſſe. Tum recenſentur Claudiani carmina, inter quae cum emineant Panegyrici, hinc occaſionem ſumit Cl. Auctor de viliſſimis,

quibus

quibus: tum aduersus potentiores vtebantur, adulationibus loquendi. Indicatur argumentum cuiusque atque sententia de illo dicitur. Accuratius vero p. 34. p. 61. examinatur carmen de raptu Proserpinae, quod, licet eorum temporum, quibus iamiam Musarum honos extingui coepit, indolem redoleat, magna laude dignum censet. Ipsam fabulam, diis compositam aliisque humana sorte maioribus, admirationem excitare: affectus egregie esse expressos, mores feliciter redditos, multa praeclare et luculenter picta. quarum picturarum bonam partem addere debebat nec necessariam esse, et aduersari meliorum poetarum exemplis atque praeceptis. Quia etiam p. 83. carmina Claudiani prope absunt ab Epico carmine, Auctor historiam Epicae poeseos fataque apud Romanos enarrat. Recte vero docet, omnes, qui post Virgilium scripserint epica, tribus potissimum vitiis laborare: nimia et vitiosa abundantia, tumore, et affectatione, vnde plura alia, quibus carminis laus minuitur, vitia orta sunt. Quae omnia diligenter et acute ab Auctore explicantur, licet paullo iniquior aduersus Lucanum esse videatur. Sed fortasse de- p. 93. 96. 102.

cepit

cepit illum auctoritas et nomen Criticorum, qui, cum crederent, ab Homeri et Virgilii exemplo non recedendum esse Epici carminis auctori, vehementer in Lucanum inuecti sunt.

p. 98. Vltima disputationis pars pertinet ad virtutes, et vitia poetae. Displicet Nostro iure perpetua in Claudiano eruditionis ostentandae cupiditas, qua profecto nil peius: eundem tamen melius Statio et Lucano sibi ipsum imperasse addit. Initium carminis de raptu Proserpinae merito vituperat, pessimosque istos versus in toto carmine appellat. Stilum Claudiani dum dicit sua laude defraudandum non esse, vellem illius vitia accuratius indicasset. Nam Claudianus vitia sequioris, quo vixit, quoque perierat fere nitor priscus Latini sermonis, aeui auxit multum vitiis ingenii sui veraeque sublimitatis ignorantia. Quod denique ad versus attinet, desiderat in iis suauem numerorum varietatem, eosdemque limam et laborem redolere arbitratur.

p. 109- Sequitur nunc carmen ipsum de raptu
228. Proserpinae. cuius in versione quam rationem secutus sit Vir Cl. iubet ipsius verbis

verbis commemorare (*). Huic vero professioni an satisfecerit semper, alii iudicent. Equidem ego credo, non tam cogitandum fuisse Auctori, quomodo bene et eleganter Claudiani versus redderet, quam quomodo ipsum et proprium Claudiani ingenium exprimeret. Difficilior profecto est Claudiani versio, quam aliorum, qui aurea Latinitatis aetate vixerunt, poetarum. Nimis enim dum recessit ille a simplicitate sermonis, audaces translationes vbique captauit, quarum vim et sensum frustra Franco-Gallica lingua assequi studet. Si quis exemplum desiderat, ille examinet, quibus abruptae a continenti terra Siciliae historia narratur, versus (Lib. I. v. 140. sequ.). Quare eo maiore cura Auctori retinenda erant Claudiani verba, qui, cum iam linguarum inge-

(*) p. 232. Je me contente de faire remarquer que je me suis surtout étudié à saisir le sens poetique & *le caractere particulier* de la poesie de Claudien. J'ai taché en un mot de le traduire ainsi, qu'il se feroit traduit lui-même, au qu'il se feroit exprimè s'il air eu à rendre ses idées dans la langue Françoise.

ingenium reluctaretur, ipse a mutationibus omnibus debebat abstinere. An vero mutauerit quaedam, an poliuerit Claudiani sententias interdum, an augere studuerit nonnullorum versuum pulchritudinem, aliorum deformitatem occultare atque minuere; quorumdam exemplorum cum Latinis verbis comparatio docebit. Initium carminis, vt omnes norunt, est:

*Inferni raptoris equos afflataque curru*
*Sidera Taenario, caligantesque profundae*
*Iunonis thalamos audaci prodere cantu*
*Mens congesta iubet.*

Haec Vir Cl. sic reddidit: *Livré à de saints transports mon esprit m'inspire de hardis accens. Je chante les courriers rapides du ravisseur infernal, les astres ternis par le char fumant du Tartare & la couche nuptiale de la Junon qui regne sur le noir abyme, cette couche environnée d'eternales tenébres.* Non pauca a Viro Cl. addita fuisse patet.

p. 239. Magis vero miramur, quomodo illi mira, quam in animaduersionibus proposuit, verbi *congesta* interpretatio in mentem venire potuerit. Putat enim τὸ *congesta* esse accusatiuum casum, vt Grammaticorum

maticorum filii loquuntur, ideoque locum exponit: *haec omnia congesta* (*). Sed haec interpretatio aduersatur linguae Latinae ingenio. Nam verba nullo modo ita collocari possunt, vt Auctor existimat. Praeterea sensum verbi bene explicuit Gesnerus, nec a reliquo, quod Claudianus amauit, dicendi genere ille abhorrere videtur. Videamus alia.

*— — iam magnus ab imis*
*Auditur fremitus terris templumque remugit*
*Cecropium.*

*J'entendis frémir les entrailles de la terre, & le temple dont l'Attique s'enorgueillit, y repondre par des longs mugissements.* Non opus est, vt lectori caussam sententiae nostrae indicemus, res enim clara est.

*— — crinitaque fontibus hydris*
*Tisiphone quatiens infausto lumine pinum*
*Armatos ad castra vocat pallentia Manes.*

*La tête ceinte de ses hydres vengeresses & secouant la torche fatale, Tisiphone appelle a grands cris les Manes dans ce*

 *champ*

(*) Ce sont toutes ches choses, ou ces trois choses rassemblées, que mon esprit m'ordonne de chanter.

*champ* lugubre où la Mort hideuse a tendu ses pavillons.

*Merserat unda diem: sparso nox humida somno*

*Languida caeruleis innexerat otia bigis.*

*Mais le Soleil s'ensevelit sous l'onde: Nuit amene le repos & de son char humide verse les pavots de Morphée.* Luculentius exemplum praebet oratio Cereris (L. I. v. 192-198.) Sed non licet plura hic repetere. Non nego, eleganter et venuste multa dixisse *Merianum*: immo mihi magis placere illius interpretationem, ipsius poetae versibus fateor. Sed licuitne illi hoc agere? an plus sibi sumsit, quam Critici interpreti dare solent? Poteritne ex hac versione Claudiani ingenium, cogitandique et dicendi illius ratio perspici et cognosci?

De quibusdam locis ab Auctore dissentio. Videtur enim mihi non satis illorum sensum assecutus esse. Claudianus dicit (L. I. v. 27. — *quo ducta ferox Proserpina raptu*

*Possedit dotale Chaos.*

Haec expressit: *l'enlevement de la fiere Proserpine, cet enlevement, qui la fit asseoir sur le throne du Chaos.* Chaos ab

ab antiquis poetis atque etiam a Claudiano aliquoties appellatur tristis et tenebricosa sedes inferorum atque domicilium. sic etiam Graeci (*). Quare non debebat Auctor illud verbum in versione retinere. Cur illum versum (v. 92.)

I, celeres proscinde notos, et iussa superbo
Redde Ioui. . .

interpretatus est? *Pars* & plus rapide que les vents *porte mes paroles a l'orgueilleux Jupiter*. Non scripsit Claudianus: *Praeuertere ventos*, vt dixit Virgilius (Aen. XII, 345.) sed *proscindere*, i. e. secare, tranare auras, vt veteres dicunt. Quare neque infra (v. 184.) verba: *Nunc spiris Zephyros tranant*, vertenda erant: *devançant les Zéphirs*. Non sat accurate obseruauit verba Claudiani (L. II. v. 15.) — *sudata marito*

*Fibula purpureos gemma suspendit amictus*.

*Une pierre precieuse travaillée par Vulcain forme la brillante agraffe, qui soutient sa robe*. Non gemmam Vulcanus fabricauit, nec fabricare potuit,

 sed

(*) vid. Graeuii *Lection. Hesiod.* c. 25. p. 127.

sed fibulam, quae ornata erat gemma. Paullo difficilior est locus hic (v. 24.)

*Hastaque terribili surgens per nubila gyro*
*Instar habet sylvae.*

Quos versus dum reddit Vir Cl. *La formidable lance de la Deesse pareille à un pin élevé semble diviser les nues*, paret, illum poetae sui honori consulere voluisse. Nam dum vulgare dicendi genus superare voluit, Claudianus, *nubes et inania captat.* Sed versio poetae, licet errantis et ineptientis, non defensio postulatur. Equidem Gesnero assentior, qui locum de celeri circumactu hastae exposuit, quo fit, vt multiplicari videatur, pluriumque arborum speciem exhibeat. Idem dixit Torquatus Tassus: licet non opus esset, vt tot verba consumeret totamque stropham impenderet rei parui momenti pingendae. Quare nec mihi Itali versus omnino probantur. Sed adscribam eos, quia Claudianum illustrant:

*Qual tre lingue vibrar sembra il Serpente*
*Che la prestezza d'una il persuade:*
*Tal credea lui la sbigottita gente*
*Con la rapida man girar tre spade.*
*L'occhio al moto deluso il falso crede,*
*Et terrore à que' mostri accresce fede,*

Sed

Sed de his satis. De animaduersionibus subiunctis versioni pauca dicenda sunt. Nihil quidem reconditi hae animaduersiones continent, sed sunt tamen iucundae lectu. Auctor modo caussas exponit, quas in versione secutus est, modo, quae difficiliora censet, explicat: versus memorabiliores illustrat: Claudianum cum aliis comparat: interdum alia attingit. De Aegide Iovis eandem sententiam habet, quam nos alio loco et tempore exposuimus (*). Dissentit enim a Cl. Winkelmanno, qui aegida non clypeum fuisse putat, sed pellem caprinam. Quam opinionem et locis veterum scriptorum et monimentis antiquis aduersari ostendimus.

(*) Vol. IV. P. I. p. 20.

## VIII.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ, ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΟΥ, ΚΟΡΙΝΘΟΥ, ΠΕΡΙ ΔΙΑΛΕΚΤΩΝ, — E Codicibus MSS. emendauit, et notis illustrauit *Gisbertus Koenius*, *ICtus*. Accedunt Grammatici Leidensis et Meermanniani de Dialectis Opuscula. —

Lugd. Bat. ap. Petr. van der Eyk et Corn. de Pecker. 1766. 1. Alph. 3 plagg. 8.

In tanto antiquae eruditionis Criticesque contemtu, qui per Germaniam fere vniuersam magis magisque increbescere videtur, nondum profecto, quod laeti praedicamus, desiitit Belgium viros subinde proferre et fouere eximios, qui litteris istis tractandis aut totos se vniceque deuoueant, aut, quod magis etiam admiratione dignum, Iurisprudentiae studium, seuerum illud ac plenum fastidii, doctrinarum elegantiorum suauitate leniant quasi atque exornent. Non lubet iam, in caussas huius popularium nostrorum ignauiae inquirere; tantum ex animo dolemus, adeo nos ab exteris, hac quidem in re, superari. Nam quotusquisque ICtorum, si

DIs

Dis placet, consummatissimorum vltra suae disciplinae terminos sapere audet, aut quidquam praeclarum existimat, quod non praesenti lucro laborem remuneretur? Quis non potius immortalibus omnium laudibus dignum se credit, si modo stramineum quoddam *Compendium*, *auctius* subinde *et emendatius* edendum, atque libellos Academicos bene multos, vtilem *Opusculorum* futurorum materiem, ediderit? Certe aliam longe viam instituant, necesse est, qui de nominis celebritate sollicit esse, nec solum plausum iuuenum imperitorum et caussidicorum captare velint. — Verum his immorari amplius nolumus, ne iusto disertiores fiamus. Ipsum nunc librum perlustremus!

In praefatione Cl. Koenius fuse laboris, a se suscepti, rationem reddit, simulque de variis huc pertinentibus docte et eleganter disputat. — Diu scriptum hoc, vitio librariorum omisso auctoris nomine, Corintho nescio cuidam inepte adscribebatur, sed recte nunc post H. Stephanum, Allatium, et Is. Vossium, meliorum codicum indicio, Gregorio, Metropolitae Corinthiorum, vindicatur, cui Pardo quoque cognomen

 fuit.

fuit. Quo tempore vir iste vixerit, exploratum non est, nisi quod a Comnenorum imperio non longe abfuisse videtur. Alia quaedam eiusdem scripta in bibliothecis passim seruantur adhuc inedita. In hoc autem libro concinnando eum morem tenuit, vt collectas ex variis scholiastis obseruationes, et, qui supererant, grammaticorum antiquiorum libris, Iohannis maxime Grammatici, in rem suam non sine ostentatione, sed nec infeliciter, verteret, auctas tamen sua opera, et castigatas. Aeolicam dialectum iusto negligentius habuit, vix vlla auctoritate, quae de ea protulit in medium, confirmans. Stephanum censorem rigidum nimis expertus est, diserto tamen Editoris patrocinio defensus, qui et data hac occasione p. 6-8. varios Corinthos, et p. 17-22. Grammaticos de dialectis exponentes, alios recenset. — Ceterum vsus est Vir doctissimus in adornanda hac nitida editione apographo Codicis Vossiani, quem omnium praestantissimum antiquissimumque appellat, Vaticani, duorum exemplarium in vno Codice bibliothecae Regis Galliarum, collatione, quamuis mutila, et libro manu exarato, qui ad Meer-

Meermannum cum reliqua Iesuitarum bibliotheca peruenit, e quibus omnibus opus tertiae fere partis accessione locupletatum est, praetereaque editiones priores paene omnes in auxilium adhibuit. His subsidiis instructus, illud sane in recensendo Gregorio praestitit, vt egregii sollertisque interpretis officio satisfecisse iure dici possit. Namque in animaduersionibus, quas copiose addidit, cum multae lectionis virum, scientiaque Graeci sermonis praestanti et accurata, tum inprimis στοχασμῷ critico felicissimo conspicuum deprehendimus. Etenim frequentissime, oblata opportunitate, ne aliorum exemplis variis lectionibus, formulisque notissimis illustrandis immoraretur, coniecturas in multa variorum scriptorum loca corrupta proposuit, quibus profecto nihil acutius, nihil elegantius. Tam parum istae violentae sunt, aut ex inani emendandi pruritu profectae, tamque aptis firmantur rationibus, vt peritos talium iudices vix a quaquam assensionem cohibituros putemus. Lubenter adeo exempla proferremus, nisi et instituti ratio prohiberet, nimisque optio difficilis foret, cum nihil fere non probes, quae

maxime

maxime placeant, eligere. Tria quoque epigrammata ex Stratonis Anthologia inedita primus in lucem protulit, p. 13. ὀφθαλμοὺς σπινθῆρος ἔχεις etc. p. 119. Μυωσάλνεος τὸ σᾶμα etc. p. 134. Πώγων καὶ λάσιαι etc. Sed quod p. 65. vt ineditum exhibet; Εἰ μὴ νῦν Κλεόνικος etc. fugit Virum Cl. id iam euulgatum esse a Klotzio inter *Stratonis, aliorumque veterum poëtarum Graecorum epigrammata* (*), p. 50. — Gregorio adiunxit ob argumenti similitudinem duorum grammaticorum de dialectis opuscula, e MSStis, Leidensi et Meermanniano, descripta, Iohanni Grammatico passim falso tributa, a cuius scripto multum differunt. Vtrumque breuibus quibusdam animaduersionibus illustrauit.

Luculentum, vt diximus, doctrinae exquisitae documentum Vir Cl. huius libri editione dedit, quemque se in praefatione fuisse profitetur, discipulum Valkenaerio magistro dignissimum se ostendit. Ipse tamen si nostram forte sententiam super eo consilio requireret, quod bona venia velimus audiat, nec ex carpendi magis libidine, quam in-

genuo

(*) edita Altenburgi, 1764. 8.

genuino veritatis ſtudio profeſſum putet; id ſaltem reſponderemus:

*Materia vellem fortis meliore fuiſſes.*

Eſſe enim quid in cauſſa dicamus, quod tanto ſtudio veteres Graecorum grammatici expoliantur, atque editores nanciſcantur egregios, cum interim alii tot ſcriptores praeſtantiſſimi velut deſerti ſpretique ſqualleant, et propter exemplorum raritatem in manibus pauciſſimorum verſentur? An tricas, in quibus iſti occupantur, verboſas, licet, quod lubenter damus, multum interdum ad penitiorem ſermonis cognitionem facientes, ſaepius tamen inanes et nugaces, aureis vatum, hiſtoricorum, philoſophorumque monumentis potiores iudicemus? Magno ſane cum doctrinae apparatu Bernardus Thomam Magiſtrum, Pierſonius Moerim Atticiſtam, Ammonium Valckenaerius ediderunt. Laudamus conſilium, induſtriamque virorum doctorum ex animo fatemur. At quanto praeclarius de omni poſteritate mereri potuiſſent, ſi hanc eruditionis copiam ad quempiam ſcriptorum, qui hodie, non niſi rariſſime obvii, inſano pretio redimuntur, aut illam ſua-

suauissimam, illam Venerum omnium elegantiarumque plenissimam Anthologiam Graecam, quam nouo cultu prodeuntem dudum nemo non cupide exspectat, recensendam adhibere voluissent? —

H***

---

## IX.

### Geschichte des menschlichen Verstandes.

Vratislauiae, ap. I. E. Meyerum, 1765. pagg. 252. 8.

cap. 1. Historiam ingenii humani duplici modo exponi posse, acutus et eruditus huius libri auctor docet. Si ingenium tanquam matrem multorum operum consideres, aut narrabis secundum temporum ordinem omnia inde ab antiquissimis temporibus ingenio hominum inuenta; aut, singulis partibus artium et litterarum recensitis, docebis, quomodo illae sensim paullatimque excultae fuerint, quas mutationes subierint, quomodo eam, quam nunc habent, speciem acceperint. Sin vero ingenii

genii humani opera tanquam ab aliis caussis profecta contempleris, tum has indagabis, quantaque vis iis insit quaeres. Illam rationem elegerunt Goguetus et Carlencasius: hanc viam iniit Auctor noster ita, vt medium inter Huartum et Helvetium iter teneret. Nam et naturales caussas, id est, eas, quae hominis omni societate exuti ingenium fingant, et morales, siue eas, quibus homo, si illum vt societati immixtum et reliquis, quae inde oriuntur, expositum considero, mouetur, adesse putat. Ad illas refert ingenii vim, a natura datam, corporis indolem, coeli temperiem, varios aetatis gradus, eaque, quae homo, sibi relictus, cupit, optat et assequi studet: ad has formam reipublicae, linguam, educationem, exempla, consuetudines cum aliis, ea, quorum cupiditatem et desiderium homini societas, cuius pars est, adfert, omniaque cum his coniuncta vitia virtutesque refert. Illas dicit caussas superiores his esse: si illae desint, has frustra adesse: effici tamen posse ab his, vt aut parum aut nihil illae efficiant: interdum vnam caussam vires suas conferre, saepius vero plures coniunctas esse. Ad-

dit etiam tertium caussarum genus, quas mixtas appellat, id est, eas quae locum habeant in vtraque hominis conditione. Hoc genere comprehendit prouidentiam diuinam, casum, religionis doctrinam, superstitionem, aliaque minutiora, quorum interdum est non exigua vis. Caussas has optime obseruari atque examinari posse arbitratur, si aut ad antiquissimos populos recedas, apud quos ob summam simplicitatem caussae minus sunt compositae implicitaeque, aut populos feros examinemus, antiquis similes ob paucitatem, quibus indigent inuiti quasque desiderant, rerum, aut excellentia ingenia consideremus, in quibus caussae magis eminent atque in oculos incurrunt. Haec fuerunt nobis verbosius repetenda, vt ratio Auctoris appareret. Restat, vt, quomodo has caussas explicuerit, videamus.

c. 2. Primum igitur de ingenio agit, cum iis describendis, quibus ingenii laus tribuenda est, tum explicandis illius viribus. Praecipuam vero laudem ingenii vimque maximam in inuentione collocat, quae non casui debetur. Eo maius ingenium esse, quo difficilior implicatiorque

catiorque fuerit certo aliquo tempore rei cuiusdam inueniendae copia: si etiam inuentio errorem contineat, tamen indicare illam ingenium. Perfectionem quoque alicuius rei obseruandam esse. Plus saepe ingenii ostendisse, qui initium fecerint rei, quam qui eam perfecerint duxerintque ad finem. Vim ingenii saepe minuta re excitari: interdum ab eo omnia impedimenta vinci: si semel inuenerit quasi locum, qui destinatus illi a natura sit, partesque proprias agere incipiat, tum rapidissimos progressus facere: proprium esse ingenii, omnes molestias vincere, suaque facilitate summa peragere. Interim in hac vitae breuitate naturaeque hominum imbecillitate non ingenium par esse omnibus feliciter agendis. Quomodo ingenio cum regulis et praeceptis conveniat? Non semper esse iudicium ingenii parum audacis aut sublimis, si vitiis illius opera careant. Magna ingenia vehementius faciliusque, quam tardiora, ab adfectibus abripi ideoque interdum labi. [Sed exempla allata non recto loco collocata sunt. Nam Belgicos illos pictores, quos dicit vili et dissolutae vitae deditos fuisse, ad

magnorum ingeniorum numerum non adſcribo. Neque enim tantum colorum apte adhibendorum ſcientia luminisque et vmbrae ſcita obſeruatio ingenii magni nomen conciliant. Porro ex ingenio illorum nullo modo humilis illa vitae ratio orta eſt, cum haec potius illi aliquam formam dederit certumque rerum humilium amorem inſpirauerit. Michaelis Bonarottae exemplum multo minus huc pertinet, qui profecto non ideo mores honeſtos, aut, ſi verum dicere velimus, oculos ſacerdotum violauit iudicii extremi pictura, quia inter maxima ingenia locum occupauit.]

cap. 3. Difficilis nec parui momenti quaeſtio ſequitur de vi, quam aëres locorum certaeque regiones mundi habeant in ingenio formando. Illam iam antiquos cognitam habuiſſe: alios nimis eandem auxiſſe, alios minuiſſe. Magis nos iuuare in hac re, quae certa experientia deprehendantur, quam quae ſubtili diſputatione eruantur. Nihil vim climatis luculentius oſtendere, quam ſi obſeruemus, quam varie aëre coeloque afficiantur plantae aliaque corpora; quae a ſimilitudine corporis aut propius aut

longius

longitis absint. Mathematicorum diuisionem mundi in viginti quatuor regiones hic nil iuuare, nec solius latitudinis obseruatione rem confici. Huc pertinere potius indolem soli, aquae, ventorum, grauitatem leuitatemue, calorem frigusue aëris victusque, quem natura praebeat, rationem. Climatis vim in corpore varie afficiendo negari non posse, atque hinc illius vim in ingenio fingendo formandoque apparere. Nam corporis habitum plurimum ad vigorem, languorem, robur et imbecillitatem animi conferre. vbi recensentur varii hominum mores sub coelo frigido, calido et temperato. Sub temperati coeli regionibus summis ingeniis locus sedesque datur. Clima adiuuat interdum inuentiones rerum, interdum impedit: illius vis in formanda lingua non minor est, quam in imperii forma aliqua corroboranda, atque cum vitiis tum virtutibus hominum fingendis. Nec tamen climatis solius tantam esse potestatem, sed alia accedere debere: nec esse vnam eandemque climatis omnibus seculis rationem in vna regione. id quod Romae, aliarumque regionum exemplo docetur.
[Shakespearium quomodo appellare potuit p. 93.

 tuit

tuit Plautum Anglorum, cum Romanum et argumenti varietate et ingenii
p. 80. praestantia superauerit? Simmias, ineptus et ridiculus homo, non debebat ad eos referri, qui posteritatis admirationem merentur, poetas. *Arionem* poetam non noui. Sed forte operarum errore nomen corruptum fuit.]

cap. 4. His dictis transit Auctor ad aetatem. Corporis esse varium habitum pro diuersis gradibus aetatis: hinc etiam animi vires varie affici. Cum aetate mutari ingenium, vigoremque. Pulchra est descriptio ingenii quasi nascentis seseque proferentis. In foeminis citius ingenium maturescere, quam in maribus. Sub finem capitis pinguntur ingenia, cupiditates, vota, mores cuiusque aetatis.

cap. 5. Non minor est corporis nostri vis, quam animus hominis experitur, licet modum ipsum huius necessitudinis ignoremus. Nempe si corpus humanum dicimus, internam externamque illius fabricam, compagem omnium partium; mutationes harumque caussas comprehendimus. Vbique Auctor experientiam, optimam et certissimam magistram, sequitur, eaque docet, quam sit arctum corporis commercium cum ani-

mo,

mo, docet. Inprimis agitatione motuque corporis animum excitari. Copiose agit de varia humani corporis constitutione, variarum cupiditatum genetrice. Quatruplicem illam in scholis esse dicunt. Noster licet plerumque omnium generum temperaturam cuique homini inesse dicat, vnam tamen cupiditatem quasi dominari fatetur. Hinc pulchre describit ingenia studiaque cum voluptuosorum, tum ambitiosorum, melancholicorum, eorumque, qui phlegmatici appellantur. Probe tamen distinguendam esse monet eam corporis cupiditatumque indolem, quam natura dedit, ab ea, quam aetati, moribus, vitae generi debemus.

Lingua ingenium animumque populi clare indicat: ea quoque multum ad ingenium hominis formandum confert. Ingenium populi eosdem progressus fecisse, eadem incrementa habuisse videri quae lingua, qua ille vtatur, experta sit. Inprimis docet, quae lingua poetis, quae philosophis commoda sit, quantumque prosit ingeniis copiosa lingua. [Neque tamen in vniuersum dixerim cum Auctore, pauperem linguam ingenia inferiora gignere. Nam illa paupertas linguae c. 6.

Hebraicae, non impediuit poetas, quo minus diuina carmina canerent, neque quomodo ingenio Mathematici aut Physici illa obsit, video. Debebat Auctor accuratius explicare, quas diuites censeret linguas, quas pauperes.]

cap. 7. Quantum tribuendum sit in ingenio formando sensui egestatis, desiderio rerum, quibus aegre homines carere solent, vno verbo cupiditati, quae cuique homini inest, felicitatem suam augendi, siue haec vera sit, siue falsa, iucunda sibi comparandi, iniucunda amouendi, in sequenti capite docet. Quid adfectus efficiant, ostendit, quid amor, quid ambitio. Non quidem donare illa desideria rerum homini ingenium, sed compellere tamen eundem et inuitare ad vires explicandas. hinc multas inuentiones natas esse. Nimiam egestatem ingenia opprimere: nimiam abundantiam nocere et pigritiam alere, sed esse tamen artium liberalium nutricem. Ea quoque desideria attingit, quae regionis certae ratio excitat. In terris, quae valde frugiferae sint, parum aut potius nihil noui inueniri. Ex sterilibus regionibus magnos viros prodiisse.

Rei-

Reipublicae atque imperii forma ingeniorum flos cum augetur, tum minuitur. Quid igitur ab imperio populi, aut optimatum, quid ab imperio, certis finibus circumscripto, quid a rege, omnibus exemto legibus, sperandum et exspectandum sit, ostendit. Praestare ingenio feris nationibus multum bene moratos populos. Eas enim paucis rebus indigere, pauca desiderare. Quomodo artes ortae sint inter homines, qui certam reip. formam amauerint constituerintque? Proprias cuique regno leges aut instituta cum peculiaribus inuentionibus locum et occasionem dare, tum litterarum incrementa impedire posse. Mutationes, quas regnum aliquod experiatur, ipsumque bellum interdum litteris et ingeniis fauere. cap. 8.

Vltimum caput spectat ad educationem, cuius triplex genus ab Auctore recensetur. Nam et educatione parentum fruimur, et a magistris instituimur, et discimus multa ex consuetudine cum aliis. Agitur etiam de scholis publicis atque priuatis ita, vt quomodo ingenium excitetur, alatur, augeatur, vbique ostendat. cap. 9.

Breuiter indicauimus argumentum libri eleganter et docte scripti, cuius auctor esse dicitur Cl. *Floegelius*, scholae Iauriensis in Silesia magister, vir, vt ex aliis quoque libris patet, acutus, ingeniosus, et eruditus. Prodidit ille non solum magnam mentis solertiam, cuius ope rite examinat res, et quid cuique insit, perspicit, sed multarum quoque rerum scientiam. Aptissimis vtitur vbique exemplis ad illustrandas et confirmandas sententias, cum ex litterarum historia repetitis, tum sumtis ab iis, qui itinera per incultos ferosque populos facta descripserunt. Hoc modo lectionem libri valde iucundam reddidit, nec fore quenquam credo, qui vbi semel illum in manum sumserit, deponat, nisi totum perlectum, nisi laudato auctoris ingenio et doctrina. Vnum est, quod non sat attendisse, certe non vbique ante oculos habuisse videtur. Admodum diuersam esse earum artium litterarumque, quae solius ingenii viribus nituntur, rationem ab earum natura, quae longo vsu et experimentis constant, atque diuturnae meditationis laborem postulant, notum est. Illas quoque multo citius his perfici, atque ad summum

fasti-

fastigium perduci constat. Iam haec p. 30.
si considerasset Vir Cl. non puto eum negaturum fuisse, posse aliquid ab vno homine, inueniri et simul perfici, aut Homerum primum Epici carminis auctorem fuisse. Hinc etiam, quod non semper diuersam artium conditionem recordatus est, factum est, vt senectutem non aptam esse diceret inuentionibus. Sed in Physicis, Astronomi- p. 127.
cis, reliquis Mathesis partibus quis neget senes multa felicius acutiusque videre et inuenire iuuenibus, non solum quia aestus, meditationi noxius, deferbuit, sed etiam quia senectus vti potest iis, quae antea assiduo studio collegit? Etiam ibi, vbi de rebus agit, quibus ingenium excitatur aliturque, artium diversa natura Auctori obseruanda erat.

---

# X.

## LIBRORVM CENSVRAE MINORES.

### I.

De deo Taranucno, Commentatio Auctore I.E.I. WALCHIO, P.P.O. Ienae, ex offic. Helleria, 1766. pagg. 219. 8. Inuenta fuit nuper haud procul a Sueuorum vrbe, Heilbronna, ara, in qua haec verba leguntur:

DEO
TARANVCNO
VERATIVS
PRIMVS
EX IVSSV.

Hunc titulum sibi explicandum sumsit Cl. *Walchius*, magnisque variae, qua pollet quamque saepius ostendit, doctrinae copiis vsus, rem egit. Inde primum sententiam suam exposuit de deo *Taranucno*. Putat vero illum esse eundem Deum, qui in alio lapide *Taranucus*, in alio *Tanarus* appelletur, nomine accepto a tonitru ex Celtica lingua, quique a Romanis *Fulgerator*, *Fulminator*, *Tonans*,

*Tonans*, a Graecis κεραυνοβάτης, ἀστεροπαῖος, κεραύνιος vocatus sit. Tum transit ad *Veratium Primum*, eiusque genus, nomen, conditionem. Censet eum militem fuisse Romanum, et quia ex aliis lapidibus, eodem loco effossis, apparet, legionem octauam Augustam ibi castra statiua habuisse, coniicit, Veratium pertinuisse ad hanc legionem, cuius historiam, et fata enarrat. Porro de formula *ex iussu* disputat, additque nonnulla de aris veterum castrensibus. Totus vero liber plenus est luculentis illis documentis, quibus dudum vir praeclarus insignem rerum antiquarum amorem et cognitionem nobis probauit.

II. *De deo Thoro Commentatio, quam edit Io. Gottlob Sam. Schwabe.* Vinariensis. Ienae, sumt. I. C. Straussii, 1767. pagg. 72. 8. Addendus est Walchiano libro hic libellus ob argumenti similitudinem. Thorum enim antiquum Celtarum aliorumque populorum, qui a Celtis originem ducunt, deum Auctor putat esse Tanarum, cuius fit in antiquo lapide mentio, aut Taranucnum. Appellatum eum quoque fuisse pro diuersitate dialectorum *Tor*, *Tar*, *Thur*, *Thor*,

*Thor*, nec alium esse, quam Iouem tonantem. Scribit non pauca de cultu Thori, templis atque simulacris apud maiores nostros, et inprimis ostendere conatur, Thuringos ab hoc deo nomen accepisse. Thori celeberrimum templum fuisse Thornburgi, quod est oppidulum non inamoenum in agro Vinariensi, vbi etiam sigillum, cuius figura in fronte libelli collocata est, aeneum ostenditur, quo putant Thorum indicari, cui tamen opinioni Auctor non omnino adsentiri videtur. — Haud deneganda est Auctori diligentiae laus. Sed quantillam poscere licet gloriam, nisi vtile sit, quod faciamus?

III. *Danielis Wilhelmi Trilleri — Opuscula Medica ac medico — philologica — Volumen II.* Francof. et Lipsiae sumt. I. G. Fleischeri 1766. Alph. 2. 4. Eandem ingenii, doctrinae multiplicis, elegantiae, facundiae laudem huic Volumini damus, quam singulari cum animi voluptate nuper priori parti tribuimus. Quare inuiti incidimus in asperiora quaedam verba, quibus doctorum virorum opiniones quasdam perstrinxit vir praeclarus, nec sine dolore, quae vehemen-

tiori

tiori paullo aestu abreptus scripsit, legimus. Quam vellem illa omnia abessent! "Tres insuper alios *ismos* noui,
„hodie quidem frequentissimos, quos
„cum primis odi et arceo, quantum
„equidem possum. Isti autem sunt, vt
„de rebus fere barbaris barbare quoque
„loquar *Optimismus*, *Inoculatismus*, et
„denique *Venenismus* seu *Cicutismus*.
„Quibus quarto veluti loco paene et
„addidissem *Hexametrismum*, nouum
„istud et amphibolum Amphibium,
„quod nec piscis est, nec auis, nec
„metrum, nec prosa, nec latinum quid,
„nec germanicum, sed reuera *mixto-*
„*barbarum*: nisi nouum hoc scribendi
„aut verius stridendi cacoethes ridicu-
„lum potius, frigidum et ineptum es-
„set, quam noxium aut periculosum;
„nisi forte solis auribus atque dentibus
„inde saepe dolentibus, sicut e con-
„trario noxia omnino et periculosa
„sunt *Optimismus*, *Inoculatismus*, aut,
„si forsan quis malit, *Inoculismus* et
„*Cicutismus*. Prior enim, pessimus
„nempe *Optimismus*, durum quoddam
„et immutabile fatum Stoicum denuo
„quasi in orbem temere introducit, ipsius-
„que dei maiestati, bonitati, clemen-
„tiae

„ tiae ac liberrimae praesertim potentiae „ manifesto aduersatur: ipsa vero homini „ mentis libertatem, tranquillitatem et „ omnia denique blandiora solicitae vi- „ tae solatia crudeliter eripit, et, quod „ omnium fere deterrimum, ineuitabi- „ lem veluti peccandi necessitatem simul „ imponit." Quae quidem nollemus, iterum dico, excidissent viro eruditissimo. Medicis defendenda relinquam, quae medicorum sunt, quanquam libere profiteor, et parum mihi probari illos medicos, quorum animi ab omnibus abhorrent, quae nostra aetate praeclari viri in Anglia, Gallia, Germania inuenerunt, et me, ! si mihi visos seruare voluisset deus liberos meos, quos non sine lacrimis sepeliui, vsurum fuisse alacri et promto animo illis remediis, quae contra pestem humani generis vastatoremque vultus nostri morbum excogitauit summorum virorum sapientia. Sed quod ad hexametros Theotiscos attinet, et iniuste agit Vir Cl. qui Vzii, Kleistii, Klopstockii suaues versus aliorum iniucundis naeniis similes esse putet, eodemque loco omnes hexametros habeat; et forte vix arbitri personam in hac re sustinere potest, ob multas cau-

sas.

ſas. Equidem ſemper viri clariſſimi ingenium colui et eruditionem admirabilem ſuſpexi: iudicium de arte poetica nunquam curaui, verſus iterum attingere nolui. Nec credo aliud laturam eſſe poſteritatem de viri multis nominibus venerabilis ingenio et carminibus iudicium. Denique ſententiae de mundo optimo eos errores, quos Vir Cl. commemorat, ineſſe, non intelligo. Obiectos fuiſſe eos quibusdam Philoſophis ſcio, quos ſe praeclare ab hac, vt dicebant, iniuria defendiſſe recordor. Sed haec hactenus. Maluimus, quae hic liber habet, bona, quibus laetamur, quibus fruetur grata poſteritas, quam leues maculas aut paullo iniquiorem erga aequales animum, cognoſcere.

I. *Epiſtolae duae de anthracibus et variolis veterum.* ſententia Viri Cl. ſat nota eſt. Iam ante triginta annos eam explicuit. Poſt tot annorum ſpatium rem ipſam examinauit, nec mutandae ſententiae cauſas inuenit. Exiſtimat enim variolas morbum plane nouum non eſſe, ſed veteribus dudum cognitum, ab ipſis tamen haud exacte ac diſtincte deſcriptum, ſicut poſtea praeſertim ab Arabibus factum: probabile quo-

que

que videri, sub Graecorum Anthracibus forsán ipsas simul latere variolas: certo tamen et manifesto demonstrari vix posse, anthraces re vera esse variolas. II. *de Moly Homerico et fabula Circaea*: multis accessionibus auctus hic libellus est. III. *Hippocrates Atheismi falso accusatus*. est scriptus hic libellus contra Nic. Hier. Gundlingium. addita etiam est epistola ad Io. Clericum. IV. *Epistola Medico-Critica ad D. Io. Freind super primo et tertio Hippocratis Epidemicorum nuper ab ipso editis.* Praefert vbique liber summae doctrinae documenta. Agit Auctor Cl. de variis Hippocratis codicibus et editionibus: de eius stilo et dialecto disputat, multa loca aut emendat aut explicat. V. *de noua Hippocratis editione adornanda.* Tanquam specimen futuri operis additus est totus libellus de Anatome, commentariis luculentis illustratus. VI. *de mira naturae solertia in reparandis damnis corpori animato illatis.* Iucundissima lectu sunt, quae populari docendi scribendique genere vsus Vir Cl. disputat. VII. *de febre miliari potissimum foeminarum priscis medicis Graecis haud incognita.* VIII. *ad Cornel.*

*Taciti*

*Tacit. cap. IX. de mor. Germ. de Iside, dea veterum solitaria et medicis sacra olim apud Suevos religiose culta.* — Nihil magis optamus, quam vt optimus senex propediem nobis Hippocratis editionem, toties promissam impatienterque desideratam tradat. Non solum enim eam summam omnibus, qui studiis his delectantur, vtilitatem allaturam esse speramus, sed immortali quoque patriae nostrae gloriae fore scimus. Cui vt spei et voto satisfiat, viridem et vegetam, qua fruitur, senectutem, ne vllus turbet minimusque casus ex animo optamus, atque Aesculapio opifero deo, non Gallum, vt Socrates, sed dulces epulas et coronatum calicem vouemus.

IV. *De eo quod pulchrum est in carminibus Elegiacis P. Lotichii Secundi disserit* M. Christianus Frider. Quellius. Friedericostadii prope Dresdam 1767. 4. Parat vir eruditus et ingeniosus nouam editionem Lotichii, poetae suauissimi, quoque nescio an Germanorum quisquam felicius imitatus sit sacros Latii vates. Hoc igitur libello scribere voluit iuuenes ad cognoscendum poetae ingenium adamandumque, et legendorum

 dulcissi-

dulcissimorum versuum cupiditatem eorum animis iniicere. Atque etiam luculento specimine ostendit, se non solum probe intelligere, cur laude et lectione dignus sit Lotichius, sed se quoque artem, paullo difficiliorem, quam vulgo putant, didicisse, apte et cum fructu interpretandi poetarum carmina.

V. *Briefe über Merkwürdigkeiten der Litteratur. Erster Band. Schleswig und Leipzig.* 1767. pagg. 512. 8. Si exceperim ea, quae ad septentrionalium populorum antiqua carmina pertinent, licet etiam haec nil reconditi habeant, aut quod multi ignorent, nil inueni, quod quenquam ad legendum hunc libellum allicere posset. Vbique obseruaui luculenta petulantiae, ridicule se iactantis proteruitatis, et mediocris doctrinae specimina. Tota vero oratio, quae frigidam, et puerilem affectationem redolet, clarissime ostendit, immerito censorum partes sibi sumsisse istos homines,

*Rancidulum quiddam balba de voce locutos.*

Eiusmodi arbitris si ingeniorum censura mandetur; istorum iudicium, quibus audacia pro ingenio

*Ranca-*

*Raucaque garrulitas, studiumque immane loquendi*

pro sapientia est, sententiis si honos auctorum et laus aut minuatur, aut augeatur, quid moramur, calamos frangere? Nam, vt nunc sunt tempora, Matryae quidem similes sunt multi, sed similem poetam nullus eorum metuit. Priscae seueritatis exempla si ederentur, harum litterarum scriptores Apollinis irae relinqueremus.

VI. *Caroli Ferdinandi Hommelii Palingenesia librorum iuris veterum: siue pandectarum loca integra ad modum indicis Labitti et Wielingii oculis exposita et ab exemplari Taurellii Florentino accuratissime descripta: Tomus primus.* Lipsiae, impensis Theoph. Georgii. 1767. pagg. 619. 8. Iam alio tempore (*), quem in ornamentis suis iure numerat Lipsia, praestantissimus *Hommelius* spem nobis iniecerat, pristinum ordinem veterum ICtorum libris a Triboniano turbatum restituendi, remque a Labitto et Wielingio quodammodo inchoatam, a Brencmanno et Brunquello tentatam quidem, sed mox relictam,

 persi-

(*) in *Litteratura Iuris* p. 70.

perficiendi. Quantam enim talis restitutio vtilitatem habeat in interpretatione ICtorum veterum, quorum sententiae ideo saepe obscurae sunt, quia orationis totius ordo diminutus disturbatusque est, non ignorant, qui nobilem hanc Iurisprudentiae partem attigerunt. Cur vero *Palingenesium* appellauerit hoc opus, ipse Vir Cl. docet: "Nomen, inquit, ab arte chymicorum nunc deperdita depromtum significo, qua concisae in puluerem herbae aut combusti flores ex cinere, roris aut etiam ignis ministerio suscitantur, de qua plantarum resurrectione hi versus perennant:

"*En redit ex gemino nemorosa lauendula vitro,*
"*Quae prius in terram versa salemque fuit.*"

Neque vero solum Cl. Hommelius dispersa ICtorum fragmenta collegit et quasi contexuit, sed etiam, quod non leue beneficium est, veram Florentinae Taurellii editionis, pretio immani comparandae, lectionem, quam tot Corporis Iuris editiones mentiuntur, exhibuit. Inde Florentinam editionem omnibus interpunctionibus, signis atque

etiam

ctorum vitiis scripturae retentis accuratissime exprimendam curauit, atque ideo duplici munere sibi obstrinxit legum Romanorum cultores. Fragmenta Iurisconsultorum, secundum literarum ordinem collocata sunt, primumque locum in hoc Volumine Africanus, vltimum Papirius Iustus sortitus est. Quid in reliquis operis vtilissimi Voluminibus propositurus sit, ipse iam docuit in eo libro, quem modo laudauimus, quoque tot amoenissimi ingenii et copiosae doctrinae documenta continet.

VII. *Artificem ea, quae sibi non conueniunt, fingentem poetae monitorem iterum proponit* Benj. Gottlib Laurent. Bodenus, Vitembergae, 1767. pagg. 40. 4. Pergit amicissimus Auctor vitia ab artificibus commissa eo consilio recensere, vt, quid agendum, quid vitandum sit, inde poeta discat, atque in hoc libello de fabulis mythicis eadem elegantia et eruditione, quam in priore laudauimus, agit. Initium facit a Ioue, cuius numine indignam animo conceperunt formam, qui ocellum in media fronte posuerunt, aut illi muscae corpus dederunt. Multi historiam Iouis minus recte ex-

 pressserunt,

pressierunt, vt raptum Europae, et Ganymedis. Cornua caput summi deorum non decere videntur. Semper illius vultus maiestatem praeferat, quae regem reliquorum deorum ostentet. Sequitur Iuno a Venere distinguenda specie grauiori maiestateque mixta pulchritudini. Nec cum superorum dea confundendae Iuno Stygia aliaeque Iunones, quarum cuique sua est forma: Mineruam Phidias fecit non inferiorem Homericis versibus. Certa haec quoque signa habet, quae non negligenda sunt artifici, nec praetereunda poetae. Berninianus Apollo reprehenditur a quibusdam. Multo maiori iure reprehendi debent poetae, qui versibus dignitatem dei minuunt. Inprimis displicent Nostro tabulae triste supplicium Marsyae exhibentes ita, vt cutem detrahens deus appareat. Quam historiam longe sapientius veteres artifices finxisse meminimi, vt testantur gemmae scalptae, variis in libris, quos infra laudauimus (*) editae.

(*) vid. Agostini *Gemme Antich.* P. II. n. 9. *Museum Florentin.* T. I. t. 66. Mariette *Pierres gravées.* T. I. t. 13. et Beger. *Thes. Brandenb.* T. III. p. 196.

editae. Nam in his eam imaginem contemplari potest, quam vt artifices exprimant optat. Hic quomodo ingeniosus vir, qui diligenter Musei Dresdensis ornamenta considerauit eorumque exemplis apte vtitur, oblitus est statuam Marsyae, quae Dresdae est, non incelebrem (*)?

VIII. *Io. Frid. Herelii Epistola Critica ad V. Cl. Io. Ge. Meuselium, Liber. Artium in Acad. Halens. Mag.* Altenburgi, ex officina Richteria, 1767. pagg. 80. 8. Vehementer queritur vir amoenissimi ingenii de Moropolitanis suis, quibus elegantissimas, quas nuper laudauimus, Satyras parum placuisse vidit, audiuit, sensitque. "Qualia, inquit, „mihi amicos portenta nuntiare existimas? Fremere ciues omnes et indignari, furibundos per vias discursare „caussidicos, meque petulantissimis conuiciis proscindere, pingues autem sacrificulorum greges dignum me, qui in „*Gehenna* aeternum, vt mos est, crucier, „vetulis accinentibus, clamitare" — Haec tibi, mi amice, praedixi omnia,



(*) v. *Recueil des Marbres antiques dans la Galerie du Roi de Pologne* à Dresden. n. 65.

totamque hanc tempestatem ante denunciaui, quam ingrueret, non augurio capto ex auium volatu aut pecudum extis, sed ducta ex indole hominum coniectura motus. Bene tamen habet! Non animum Herelius abiicit, nec laqueum quaerit aut venena petit: immo laetari videtur et gaudere. Nam, "o
„hominem, pergit, me felicem bea-
„tumque! Ecquis me viuit hodie vs-
„quam terrarum fortunatior? Nam
„quid iucundius mihi honorificentius-
„que accidere posse indicem, aut de quo
„iustius gloriari fas fuerit, quam si
„me ab istis lacerari audiam, quorum
„ne laudes unquam ferrem, a puero
„caui sedulo, quosque si mea studia
„probare comperirem, animo prorsus
„conciderem, ac mihi ipse totus me-
„rito displicerem?" Nec falsa Nostrum narrare aut animo tristiori esse, luculenter ostendit libellus, et facetiis conspersus salsissimis et plenus acutissimis coniecturis, quibus corrupta antiquorum auctorum loca emendare studet. Manum vero admouit primum corrigendo Apuleio, quem excipiunt Oppianus, Hyginus, Lucianus, Dictys Cretensis, Apollonius Rhodius, Florus, Se-

renus

renus Sammonicus, Ausonius, Longus, Achilles Tatius, Iustinus, Valerius Flaccus, Heliodorus. Quibus dum adspersas librariorum culpa maculas abstergere conatur, miram ingenii sagacitatem accuratissimamque vtriusque sermonis cognitionem ostendit. Ipsum etiam, quo vtitur, scribendi genus Latinum est, purum est venustum est, et suaue. Quam quidem laudem maiore cum laetitia tribueremus amicissimo viro, nisi mouissent animum, quae sub finem epistolae ille dixit. "Ecquando, queritur, erit
„ tempus auspicatissimum votisque meis
„ semper efflagitatum, cum mihi relictus
„ et meus totum me in sacraria Mu-
„ sarum blandiorum recondam, cum
„ procul a patria ingrata, calumniisque
„ ciuium meorum et insidiis ereptus,
„ quodcunque aeui fata mihi concesse-
„ rint, in otio placido amoenissimoque
„ transigam? Vnquamne vitae ciuilis,
„ ad quam me naturam aptum finxisse
„ minime, omnes, qui me norunt, in-
„ telligunt, strepitu molestiisque libe-
„ ratus, fortunae ludibria inter sapien-
„ tum scripta paucosque amicos, sed
„ iucundos, sed candidos, secure potero
„ contemnere, an iterum delatus in loca
„ doctri-

„ doctrinae liberalioris insectatione nota,
„ circumdatus rabulis hostilibus, inuisus
„ omnibus et despectus, inutilis aliis,
„ mihi grauis ipse, mortem vitae infe-
„ licis miseriarumque finem exspecta-
„ bo? — " Quibus amici querelis nisi vehementer mouerer, profecto indignus forem summo, quo ille me prosequitur, cuiusque etiam in hoc libello documenta exstant, amore. Sed mihi crede, mi Hereli, Deus est, qui fata nostra regit. Licet etiam homines Tibi quodammodo molesti, paene dixeram, iniqui laudi Tuae ingenioque, sint, nunquam tamen, quod ille summus rerum nostrarum arbiter semel iussit, irritum facient, et erit certissime tempus, quo apparebit, qui sis.

Θάρσει χρὴ, φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον,
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσι, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.

IX. Io. Avg. Bachii *Opuscula ad Historiam et Iurisprudentiam spectantia: collegit et praefatus est* Christ. Adolph. Klotzivs. Halae, sumt. Curtii, pagg. 470. 8. Breuem addidi praefationem opusculis viri, dum viueret,

ret, elegantissimi omnibusque iis litteris instructi, quibus veri et docti Iureconsulti laus continetur. Coniunxerat enim ille accuratissimam Graeci Latinique sermonis cognitionem cum recto antiquitatis studio animoque complexus erat ea omnia, quae iuris librorum interpretem ornant et iuuant. Quae quidem multo luculentius perspici possunt cum ex *Elogio*, quo viri eruditi manes prosecutus est, vir ingenio et doctrina illustris, *Platnerus*, quodque huic libro praefigendum putauimus, tum ex libellis, quos hoc volumine complexi sumus, elegantissimis. Dabimus enim eorum titulos tantum. Argumentum ipsum quomodo tractauerit Bachius, nemo ignorabit, nisi qui summae eruditionis copiis illum abundasse ignoret. Agitur igitur in illis libellis I. pro mysteriis Eleusiniis: II. de praescriptione centum annorum in actionibus ecclesiae Romanae de iure ciuili: III. de iure transactionis super controuersiis ex testamento non cognitis tabulis. IV. de iure praediatorio: V. de edicto perpetuo prouinciali: VI. de lege Iulia Miscella eiusque vsu hodierno: VII. de causis coniunctis eorumque foro competente:

potente: VIII. de iure adcrescendi: IX. de lege Anastasiana: X. de multa poenitentiali in emtione venditione: XI. de prorogatione iurisdictionis: XII. de his, quae imputantur in quartam fiduciariam ad l. 91. D. ad legem Falcidiam. Quos quidem libellos luculenta et praeclara variae eruditionis testimonia continere quicunque intellexerit, eos spero non inuitos accepturos esse hoc, quod iis obtulimus, munusculum.

X. Christiani Crusii nuper Professoris Eloquentiae Vitembergens. *Opuscula ad historiam et humanitatis studia spectantia: praefatus est* Christianus Adolphus Klotzius. Altenburgi, ex officina Richteria. pagg. 300. 8. Varios scripsit ex muneris, quod in Academia Vitembergensi gessit, ratione, libellos Crusius, quos vno volumine comprehensos plurium in manus peruenire auctor voluit. Eorum ponemus titulos. I. de humanitatis studiorum rara aestimatione: II. de studiis, ex vtilitate patriae a Smyrnaeis quondam aestimatis: III. de bonis fortunae calamitatum humanarum caussis: IV. Quaestiones

nes circa originem mali in humana natura : V. Vindiciae piscatorum Germanorum, contra scriborum iniurias, tanquam litterarum expertium : VI. de diuersis vulgi et peritorum in aestimando studiorum pretio iudiciis : VII. de facibus, religionis obtentu incendio reip. subiectis : VIII. de verae liberalitatis ingenio : IX. defensio defensorum religionis intermixtum : X. de M. Aurelii victoria Marcomannica et litteris ad Senatum : XI. de perturbatione reip. ex religionum calumniis : XII. de antiquitatibus Comitum Palatinorum : XIII. de historiis et picturis in Fridericum I. Imp. iniuriis : XIV. nonnulla ex antiquitate Saxonica : XV. de Gregorio VII. ob suppressam scripturam Sa novatore in rebus Christianis audacissimo : XVI. Consilium de genere legati maxime pii academiarum ad incrementa : XVII. de academiarum dignitate : XVIII. Laus constantiae Phil. Melanchthoni asserta. XIX. Laus grammatici Phil. Melanchthoni vindicata : XX. Prolusio orationi in memoriam pacis Oliuensis habendae praemissa : XXI. Prolusio solemnibus academicis ob restitutam pacem et reditum Augusti Reg. praemissa : XXII. Prol. supremo honori

honori Friderico Aug. habendo praem. XXIII. Prolusio supremo honori Friderico Christiano habendo praem. XXIV. de antiquitatibus: Comitum Palatinorum Prol. II. XXV. de sedibus primis Marcomannorum et tropaeis Drusi. XXVI-IX. de originibus Alamannicis. XXX-VII. de originibus Saxonicis. XXXVIII. de geographicorum, quae sub Ptolemaei nomine circumferuntur, fide et auctoritate. XXXIX. de originibus Saxonicis. XL. XLI. Obseruationes antiquariae. XLII-V. de originibus Saxonicis. XLVI. Obseruationes in Taciti Germaniam. — Hos igitur libellos, quorum alios argumenti vtilitas et praestantia commendat, alii ob popularem nec inelegantem dicendi rationem placent, edendi paullo ante obitum consilium ceperat Crusius. Quo rebus humanis erepto totoque prope libro formis descripto, mihi tutela orbaeque libri, parente suo destituti, mandata fuit. Praefandi igitur prouincia semel suscepta primum egi verbose de vita, moribus et fatis viri nuper erudit, de quibus ita exposui, vt nunquam non, quid memoriae Crusii ipsique humanitati deberem, recordarer, omitteremque

que ea, quae humanae imbecillitatis, non omnibus horis locisque ita munitae, vt nunquam labatur, propria essent. „Molliter, dixi, cubent ossa viri boni „et docti, perfuncti feliciter laboribus, „molestiis et miseriis vitae humanae, „quemque nos eo, quod arbiter noster „statuerit, interuallo hilari fronte et „libenti animo sequemur! Nos illius „nomen cum beneuolentia vsurpabimus „et honore, quem viri egregie de lit„teris meriti cineribus, quibus, iterum „dico, sit terra leuis! debemus omnes, „qui aut litterarum, quas voce et scriptis „commendauit, studia tractamus, aut „eruditioni, ingenio, diligentiae pre„tium statuimus honoremque habe„mus." Tum addidi epistolas XIII. a Io. Matth. Gesnero ad Crusium scriptas, in quibus varia sunt, quae ad Crusii opiniones et fata pertineant, scripta. Denique sententiam dixi de ipsis opusculis, in quibus mihi non probari fassus sum illum calorem, quo in miscelliones, vt ipse appellauit viros pacis et tranquillitatis studiosos, inuectus est. Meo enim libere professus sum animo illam orationis atrocitatem nunquam placuisse. "Quoties cogito, (repetam „enim

„ enim certas ob caussas, quae ibi dixi)
„ esse a maioribus nostris certos libros
„ compositos, quibus Lutherani coetus
„ doctrina traditur, hodieque quibus-
„ dam in locis omnes, qui munus ca-
„ pessant, iusiurandum dare debere, num-
„ quam se a maiorum sententiis recessu-
„ ros esse: si reputo, homines fuisse
„ maiores nostros eosque libros iis tem-
„ poribus scripsisse, quibus, vix pristina,
„ quae diu orbem terrarum oppresse-
„ rat, barbarie depulsa, nondum ea fue-
„ rit eruditionis facies, non is philoso-
„ phiae honor, qui post duo demum se-
„ cula bono librorum sacrorum inter-
„ preti facem praeferat: si dissensum il-
„ lum, qui nimis heu! diu rem Chri-
„ stianam turbauit, non fundamenta
„ Christianae religionis conuellere et
„ euertere, sed ad capita tantum spectare
„ quaedam considero, de quibus saluo
„ et integro reliquae doctrinae honore,
„ salua hominum salute in diuersas sen-
„ tentias abire liceat: si perpendo, Deum
„ opt. max. animum spectaturum esse
„ olim illo decretorio die, illiusque ho-
„ nestatem, probitatem, candorem vir-
„ tutesque, quas Christianis exemplum
„ et vox magistri diuini commendauit;
„ alios,

„alios, non disputationum de verbis „acumen: haec igitur si mecum cogito, „atque illud sollemne iusiurandum re„cordor, ita me Deus immortalis amet, „vt toto corpore contremisco! Tunc „demum sentire incipio meam felici„tatem, qui in ea vrbe viuam, vbi meo „arbitrio Deum colere licet, vbi nulla do„mus minacibus eorum vocibus perso„nat, qui infesto fratribus animo omnes „condemnare audeant, quos, licet pie „Deum diuinumque illius filium vene„rantes virtutisque studiosos omnis, ali„ter de quibusdam opinionibus existi„mare animaduertant, quam librorum „vt appellantur, symbolicorum aucto„ritas aliarum terrarum ciues credere et „docere iubeat: tum, inquam, non „possum non sapientiam et excelsum „animum Friderici Magni, cui Deus „faueat! celebrare, cuius in terris non „hominum plus valet auctoritas, quam „Dei, nec libertas honesta sentiendi le„gum acerba seueritate constringitur. „O vtinam aurea libertas ad reliquum „quoque hominum genus descendat, et „vincula, non corpori, sed, quod du„rius est, animo turbulentis temporibus „iniecta nec demta adhuc rumpat! —

„Sed pono calamum. Liquescere sen-
„tio pectus cogitatione acerbi imperii,
„quod tot homines, alligatos maiorum
„sententiis deuinctosque certorum ver-
„borum lege, pati video."

XI. *Stricturae de statu scientiarum et artium in imperio Russico, quas — defendit Io. Henricus Frommann, Philos. et L. A. M. Respondente Io. Frid. Woelffling.* — Tubingae, 1766. pagg. 38. 4.
Duo fere lustra inter Ruthenos Auctor egit, ideoque et certius multis aliis et luculentius, quae sit in Russia litterarum facies, exponere potuit. Vtinam ille accuratius rem omnem explicuisset et vsus fuisset meliore scribendi genere! Multo nunc foret libelli, qui sua nouitate lectores allicit et retinet, lectio iucundior. — Variis temporibus litterarum et doctrinae semina sparsa sunt in Russia. Habuit dudum haec regio et principes, litterarum studiosos, et artifices non imperitos, et viros litterarum studiis deditos. Typographicam artem Moscuae intulit, Boris Feodorowitsch, populi princeps, aliaque fecit plura litterarum causa. Maxime vero de litteris et re constituenda sacra meritus fuit Theophanes
Pro-

Procopowitsch, Archiepiscopus Nowgrodiensis. Codicem legum collegit Ioannes Basilides II. editum post ab Alexio Michaelowitsch, auctum et emendatum a Petro M. Artis medicae iustus est Petropoli honor nihilque, quod ad illam discendam docendamque pertineat, omittitur. Scholae quoque institutae sunt aliaque condita collegia, in quibus iuuentus erudiatur linguis litterisque. Addidit quoque auctor indicem lectionum, quae in Academia Petropolitana et Vniversitate Moscuensi habentur, vnde tamen intelleximus, non optimos semper libros a magistris tradi et explicari discipulis.

XII. *Nachricht von den an verschiedenen Orten in Sachsen gefundenen Todtentöpfen und andern heydnischen Alterthümern: abgefaßt von Christian Friedrich Schulzen. Med. Baccal.* Dresdae, ap. I. M. Lehmannum, 1767. pagg. 72. Nota sunt, quae prioribus libelli capitibus exponuntur. Agit enim Auctor de sepultura et combustione cadauerum apud antiquos populos. Attigit quoque ritus, quos, dum mortuos concremabant, Romani Germanique

obseruauerunt. Maioris momenti sunt, quae sequuntur. Describuntur vrnae variis temporibus in Saxonia erutae, et quaecunque in his vrnis inuenta fuerunt, narrantur.

XIII. *Commentarii de libris minoribus. Voluminis I. Pars I. et II.* Bremae, ap. G. L. Foerster, 1767. pagg. 258. 8. Nempe hoc defuit reliquis miserorum auctorum infortuniis! Minores quoque libelli, qui nullo alio fine scribi videntur, quam vt obliuioni tradantur quam citissime, ab impiis et acerbis Criticis posthac perstringerentur! Nemo turbauit adhuc quietem hominum, qui, cum viderent, vix fore aniculas, quae in templis aures fatigandas sibi praebeant, vt ingenia liberalia iuuenum in scholis delerent, numorum potentia, aut nuptiarum sapienti conditione impetrauerunt. Ecce! Bremae extitit hominum ingeniosorum societas, qui minores libellos conquirunt, examinant, nec vlla, aut titulorum aut locorum ratione habita, libere inscitiam irrident
p. 71. auctorum. Wernsdorfius Vitembergensis frustra *vestem palmatam* ostentat, sibi-
p. 83. lis et risu exceptus: Messerschmidio, iam

vetulo

vetulo ludi magiſtro Grammaticae Latinae lectio ſtudiumque commendatur: Kulenkampio nec frontis prodeſt caperatae nubes nec pallii dignitas. Triſtis ille, vt olim Calchas ab Agamemnone increpitus, prope ripas Leinae ambulat, et tacite Deum precatur: p. 208.

Κλῦθί μευ, Ἀργυρότοξε, ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας
Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν.

Praeterimus alios bonos viros, quibus profecto non molle carmen occinuerunt auctores, ſed tale, quale cum audiuiſſet iſte apud Homerum,

ἕζετο τάρβησέν τε
Ἀλγήσας δ' ἀχρεῖον ἰδὼν ἀπεμόρξατο δάκρυ.

Nos quidem facile credimus, parum iucundam fore horum Commentariorum lectionem iis, qui libellos ſuos his Criticis diſplicuiſſe intellexerint. Sed nos reliqui ſpectatores, quorum de corio, vt aiunt, non luditur, non illubenter huic rei interſumus, ingenioque, acumine, leporibus et facetiis auctorum delectamur.

*Suaue, Mari magno turbantibus aequora ventis,*
*E terra magnum alterius spectare laborem:*
*Suaue etiam belli certamina magna tueri*
*Per campos instructa, tua sine parte pericli.*

XIV. *Lettre de M. P. Ad*** à M. le Marquis de Migieu, Chevalier de S. Louis, &c. sur une decouverte faite à Lyon, le 4 Février 1766. d'un monument antique, enséveli sous les eaux de la riviére de Saone.* Parisiis, ap. Durandum, pagg. 23. 8. Quale putatis esse illud monimentum, cuius caussa hic libellus scriptus est? Noua certe est et inaudita res. Quod enim felix, faustum fortunatumque sit! non sine fortunae indulgentia aut numine diuino pes —

*ah! si fas dicere, si fas;*

pes ex aere equinus ex alueo Araris prope Lugdunum protractus, atque curiae illatus, vbi, ni fallor, non aliud, ac rhombo inuento olim Romae concilium habitum fuit.

*Res memoranda nouis annalibus atque recenti Historiae.*

Nostis

Nostris vero, non magis ornare solere munera sua verbis antiquarios Gnathone isto apud Terentium. Qua arte visus huius libelli auctor pedem istum equinum valde memorabilem reddidit. Pedem illum corpori additum fuisse, amens sit, qui negeti! Latet igitur procul dubio statua equestris in fluuio. Quomodo vero cui ista statua posita fuerat, diuinabimus? Audiamus. Fuit Tiberius Antisthius, eques Romanus, in Gallia, cuius nomen praeferunt Lugduni multi tituli. Praeterea scimus, huic homini statuam fuisse positam in Gallia. Nonne igitur luce meridiana clarius est, pedem istum abruptum esse a statua equestri Tiberii Antisthii? — Tantas si turbas solus equi pes excitare potuit, quid demum fiet, toto equi corpore inuento? Sic Gallia, aliorum populorum ingenia quae sat diu irrisit, nunc ad ineptias descendit, quarum in Germania nullum exstitit exemplum, nullum exstabit.

XV. *Excerptum Polonicae litteraturae, huius atque superioris aetatis; auctore Io. Dan. Andr. Ianozki, Can. Cathedr. Kiouiens. et Colleg. Scarbimir.*

*Biblioth. Zaluscianae Praefect.* Vratislauiae, ap. Kornium et Gampert. Vol. I. II. III. IV. pagg. 448. 8. Non ex titulo statim Auctoris Cl. consilium perspicitur. Neque enim solum de libris nouis in Polonia editis loquitur, aut alia commemorat, quae ad litterarum studia spectant, quanquam attingit nonnulla, sed narrat potissimum ea, quae ad munera a principibus regni aut aliis suscepta pertinent. Inde, quicunque in rep. qua ciuili, qua sacra, locum acceperint, conspicuum, legimus. Inprimis multa occurrunt de iis quae sub electionem Stanislai Augusti acta sunt scriptaque. Vbi interdum verbose caerimonias describit Auctor eaque narrat, quae nos in hoc libro lecturos esse non sperauimus. Talis est haec narratio:

p. 371. „Princeps Episcopus cum magno eo„dem, quo venerat, comitatu in pala„tium suum reuersus, cunctis Cathedra„libus Praelatis atque Canonicis, Pri„moribusque Academicis largum atque „exquisitum epulum dedit. Interque „prandendum salutem serenissimi Sta„nislai Augusti propinauit, regiaeque „maiestati perennem incolumitatem fau-

„ſaque omnia precatus eſt." Magnum praeſertim numerum addidit verſuum, in honorem Regis ſcriptorum, quorum ſi lectione me delectatum eſſe dicerem, vehementer mentirer. Lubuit mirari, quomodo vir doctus dignas cenſere potuerit has naenias, quae repeterentur a ſe. Magnam etiam libri partem occupant epiſtolae principum orationesque legatorum, quibus Pontificis, et Epiſcoporum epiſtolae additae ſunt, qualis eſt ea, qua Ieſuitarum inſtituta valde celebrat Epiſcopus Kiouienſis. Ad doctrinam et litteras vero quod attinet, nil fere meminimus nos legere, quod magni ſit momenti, aut quod ſcire interſit lectorum. Veterum Auctorum interpretationes Polonis placere intelleximus. Nam Martialis, Demoſthenis, Auſonii, Ciceronis verſiones nouae ab Auctore commemorantur. Neque tamen omittenda eſt nobis imago ſapientiſſimi, quem propitia rebus humanis prouidentia Polonis conceſſit, Regis ab Auctore adumbrata. Nam, ſi paucas exceperis maculas, correxerisque quaedam parum latine dicta, non eſt illa ſua defraudanda laude. "Rex noſter ille,

p. 426 p. 225

„Stanislaus Augustus, formae venera-
„tione ingeniique virtutibus inter maxi-
„mos huius atque superioris omnis aeta-
„tis reges effulget. Namque est toto
„corpore pulcher ac maxime decens.
„Iusta ei statura: color candidus, in
„genis grato rubore suffusus: nasus
„aquilinus: nigri capilli nigrique et
„grandes oculi, qui intuentium omnium
„animos et demulcent. Magna in
„omni eius gestu grauitas atque maie-
„stas: animo super humanam naturam
„euectus: voluptatum contemtor: glo-
„riae tantummodo auidus, publicaeque
„salutis cupidus. Legum omnium pa-
„triarum ac domesticorum institutio-
„rum assiduo vsu exercitus. Exterarum
„etiam rerum scientissimus. Cogita-
„tione celer, ac scriptione velox. Fa-
„cundia Magno illo Alexandro, Ma-
„cedonum Rege, Iulioque Caesare, pri-
„mo Romanorum Imperatore, poten-
„tior. Sermone vernaculo comtissi-
„mus, ac nobili quaque exotica lingua
„tam apte concinneque loquens, vt Gal-
„lus et Italus, itemque Anglus et Ger-
„manus Ruthenusque ciuem suum haud
„difficulter agnoscant. Latinis litteris
„doctissi-

„ doctiſſime eruditus. Liberaliumque
„ omnium diſciplinarum ſtudiis tam
„ abunde inſtructus; vt bonae omnes ar-
„ tes, ipſo vno complexae, eſſe videan-
„ tur. Liberum omne otium, iucun-
„ dae eorum concedens conſuetudini et
„ familiaritati, qui praeclari facinoris,
„ aut doctrinae virtutisque famam adepti
„ ſunt. Ingentia iis munera exquiſitos-
„ que honores impertiens. Militiae
„ gnariſſimus. Ac bellicoſorum viro-
„ rum amantiſſimus. Cibi potusque mo-
„ dicus. Vini parciſſimus. Laboris na-
„ tura patiens. Et, vbi res vigiliam exi-
„ gat, ſane exſomnis. Summe proui-
„ dus, nec minus cautus in agendis re-
„ bus, quam ſtrenuus, et fortis. Inque
„ periculis imperterritus. Inuidiam ne-
„ quaquam vlciſcens. Comiter eos ap-
„ pellans, qui laeſere: hisque benigne
„ faciens. Iuſtitiae tenaciſſimus. Vitae
„ integer et caſtus. Veritatis adeo dili-
„ gens, vt ne ioco quidem mentiatur.
„ Orthodoxae religionis obſeruantiſſi-
„ mus: Eccleſiaſtico Ordini beneuolen-
„ tiſſimus. Nobilitati omnium dedi-
„ tiſſimus. Eique tuendae, atque or-
„ nandae, omnem impendens curam

„ ſuam.

„ ſuam. Populi etiam deſideriis, et ſin-
„ gularum inprimis ciuitatum precibus,
„ vltro occurrens. Summisque et infimis
„ audiendis ac iuuandis adeo obuius, vt
„ demerendae vniuerſae Genti ſuae, ge-
„ nitum eum omnes exiſtime-
mus."

---

CON-

# CONSPECTVS LIBRORVM
QVORVM CENSVRAE
*VOLVMINIS IV. PARTE III.*
CONTINENTVR.



II. Theo-

IX. Ge-

V. Theo-

IX. Ge-

# ACTA
# LITTERARIA.

SCRIPSIT
CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*
IVVENAL.

*VOLVMINIS IV. PARS IV.*

*ALTENBVRGI*
EX OFFICINA RICHTERIA.
CIƆ IƆ CC LXVII.

# ACTA
# LITTERARIA.

I.

Glossarium Nouum ad Scriptores medii aeui, cum Latinos, tum Gallicos, seu supplementum ad auctiorem Glossarii Cangiani editionem. Subditae sunt ordine alphabetico voces Gallicae, vsu aut significatione obsoletae, quas in Glossario et supplemento explicantur. Accedunt boni indices, praecipue rerum extra ordinem alphabeticum positarum, vel quas ibi delitescere non autumaret lector, atque auctorum operumue emendatorum. His demum adiuncta est Cangii dissertatio de inferioris aeui aut imperii numismatibus, quam excipiunt emendationes typographicae, ad postremam Glossarii editionem: collegit et digessit *D. P. Carpentier*, O. S. B. Praepositus S. Onesimi Doncheriensis.

Parisiis, apud le Breton, Saillant, Desaint, 1766. Volumina quatuor. V. I. pagg. 1256. V. II. pagg. 1376. V. III. pagg. 1235. V. IV. pagg. 672. absque indic. et Cang. Dissert. fol.

Opus immensi et diuturni laboris, cui ferendo, quotusquisque erit qui se parem esse profiteri audeat?

 quem-

quemque eruditissimus *Carpenterius* duo et triginta annos tolerauit, (nam tot annos consumsit in eo componendo) nacti sumus. Nos certe, incredibili cognita rerum varietate, quas Auctor collegit, considerata librorum, quos ab illo lectos fuisse patet, antiquiorum, chartarumque, quas excussit, vetustarum maxima multitudine, perspectaque summa industria, cum in colligendis, tum in disponendis rebus quamplurimis adhibita, non potuimus non efficacissimam animi contentionem admirari, quam ad tantum opus perficiendum requiri facile quisque, illius amplitudine perpensa, intelliget. Magna igitur laus industriae, et, vt ita loquar, patientiae et animi et corporis, Auctori debetur. Neque tamen minor laus eruditionis praeclarae acutique ingenii eidem tribuenda est. Dedit ille quidem iam alio tempore luculenta doctrinae suae documenta, cum ratione notarum Tironis explicandarum tradita, tum adiutis iis, qui nouam Cangiani Glossarii editionem Parisiis adornauerunt. Vnde Auctorem huic litterarum generi, cui non parum molestiae adiunctum est, semper operam dedisse patet, longoque

vsu

stu sibi comparasse eas eruditionis copias, quas vbique explicitas conspicimus. Sed praestat in rem praesentem ire, rationemque enarrare totius operis, dignissimi profecto, quod Ludouici XV. cuius munificentia illius editionem iuvit, nomen in fronte gerat.

Cangiani Glossarii rationem, amplitudinem, vsum multiplicem vt pluribus ostendamus, non opus est. Nemini enim haec ignota sunt. Nec illud opus, licet amplissimum, cum emendationes multas, tum augmenta admittere quisquam mirabitur. Plures enim in societatem operis veniant ob immensam rerum multitudinem necesse est. Vt igitur illud Glossarium, quantum fieri posset, perficeretur, auxit pristinum capitum numerum multis nouis rebus verbisque, emendauit alia, rectius explicuit quaedam, pluribus exemplis multa illustrauit Auctor, in his proponendis eandem, quam Cangius, rationem secutus. Quare qui Cangium habeant, vix poterunt carere *Carpentierii* Supplemento, quo illud egregie auctum esse multis exemplis possemus ostendere. Inspiciat modo, qui documenta de-

 siderat,

ſiderat, ſeries *Archiatrorum* (V. I. p. 278.) *Cancellariorum* (p. 735.) *Camerariorum* (p. 736.) aut indicem *Palatiorum* regiorum (T. III. p. 126.) conſideret, examinetque ea, quae titulo: *modius*, (T. II. p. 1292.) adiecta ſunt. Nam ſi plura exempla vellemus proferre, bona eſſet libri pars deſcribenda. In vniuerſum vero laudandi ſunt tituli ab Auctore elaborati ob egregiam, quam praeferunt, eruditionem. Quod ſi quis cognoſcere exemplis cupiat, ille euoluet ea, quae ſub titulis: *Annus*, *Auxilium*, *Baculus*, *Cenſus*, *Clericus*, *Crux*, *Corpus*, *Decimae*, *Dies*, *Dominica*, *Feſtum*, *Lex*, *Littera*, *Magiſter*, *Miles*, ab Auctore propoſita fuerunt. Quae quicunque examinauerit, comparaueritque cum Cangiani Gloſſarii capitibus, vere illi in praefatione gloriatus eſſe Vir Cl. videbitur: "noua quam plurima „proferri, quae ad mores maiorum, „ad iura regia, priuataque, ad feudo„rum originem et naturam, ad debita „erga dominos vaſallorum officia, ad „ius, maxime Gallicum, in re ciuili „vel criminali, vno verbo, ad quos„vis vſus Gallorum cum eccleſiaſticos,

„tum

„tum seculares, atque etiam domesti-
„cos, deinum ad quaslibet scientias
„artesue spectent." Inprimis obseruaui-
mus multa, quae ad Iurisprudentiae
historiam iurisque olim in Franço-Gal-
lia dicti rationem pertinent. Vbi de
*aquae frigidae* iudicio agit (V. I. p. 259.)
totum iudicii ordinem, ritus, formu-
lam, describit; quibus nonnulla insunt,
quae non alibi reperias. Aliis locis docte
agit de *duellis*, e iudicis decreto factis;
(V. II. p. 173.) *feudorum* conditiones,
species, officia seu ministeria, atque
emolumenta iis adiuncta copiose expli-
cat: (p. 408.) *sacramentum fidelitatis*
luculenter describit: (p. 426.) *inuesti-
turae* varia genera explicat: *homagii*
caerimonias (p. 756.) accurate recenset,
(p. 919.) atque de nobilitatis honore
memoratu digna collegit. (V. III. p. 28.)
Nam quando plebeii homines nobi-
lium ordini adscripti primum sint, quo
modo quaue de causa hoc factum fue-
rit, num aliquis acquisita semel nobi-
litate iterum ea spoliari potuerit, quae-
rit. Praeterimus alia Iuris antiquioris
capita, egregie illustrata. Cui quidem
animaduersionum parti quaedam insunt,
quae, cum a moribus nostrae aetatis

 valde

valde abhorreant, non poterunt non multis mirabilia videri. Cui non placeat poena, qua ad asini caudam manu tenendam adigebantur, qui ignauiae arguerentur, maxime qui a mulieribus vapularent, mariti? (V. I. p. 326.) Plane etiam singularis est illa lex: *Si foemina conuincatur esse litigiosa et maledica, alligabitur fune subtus ascellas et tunc in aquam proiicietur.*" (V. II. p. 1130.) Quam quidem legem, ne hominum genus extingueretur, abrogatam esse puto. Sed talia sunt multa in hoc libro, e quo nemo, cuicunque litterarum generi deditus sit, frustra, quae prosint et iuuent, petet. Praecertim ii, qui superstitionis priscam vim cognoscere velint, non inuiti legent, quae Auctor e codice ecclesiae S. Petri Insulensis de haud suspectis obsessorum signis, et de ritibus iis obseruandis, qui malum genium hospitio expellere auderent, protulit (V. III. p. 64.) nec illubenter *excommunicationis* species cognoscent, (V. II. p. 310.) aut ritus, quibus in ecclesiis *Festum Innocentium* celebratum fuit, ridiculos et indecoros. (p. 971.) Inprimis frequentem inuenient materiem, deplorandi coecas hominum

minum mentes, superstitionis imperium durum; saeuissimamque pessimorum sacrificulorum et monachorum tyrannidem, quam nondum sat fortiter excussit humanum genus. Vt vnum exemplum addam, repetam horrendas diras, quibus auctoritati chartarum quarundam obesorum monachorum turba sat callide cauere nitebatur, depromtas ab Auctore e Charta Roberti Abb. Corb. a. 1136. scripta. *Ego et sacerdotes nostri sacramentalibus iugi diuini stolis induti et omnes reliqui fratres tenentes lucernas ardentes in manibus nostris conseruatoribus huius sancti et deuote peracti priuilegii portas inferi horribiles claudimus et ciuitatis Iherusalem coelestis duodecim portas ex singulis margaritis pandimus: scienter vero violatoribus huius priuilegii nos iisdem omnes extinctas de manibus proiicientes lucernas regni coelestis ianuas claudimus et horribiles inferi portas pandimus, vt cum Datan et Abiron et cum Iuda de fure traditore viuentes hoc est, scientes in eas detrusi et cum diuite carnali filio sancti Abrahae in flammis sulfureis sepulti non adituri, vt inde resurgant.* (V. I. p. 936.) Magisne miremur cucullatorum fraterculorum

culorum audaciam, quae tales voces emisit, an reliquorum, qui eiusmodi carmen audiuerunt torporem? Atque ea quidem facilius istorum temporum barbariei condonamus. Sed quis nos indignetur, hodie Romanum Episcopum eos, qui in Polonia ipsius in verba iurare nolint, eadem acerbitate exsecrari et deuouere? — De Iurisprudentia iam diximus. Pertinent quidem haec capita maxime ad Franco-Galliam, sed et ad alios populos multa inde deriuata sunt, quorum originem veram hoc modo perspicimus, et vix illa a reliqua historia seiungi possunt.

Vnde vel me non monente historiae et antiquitatis studiosum maximam, quia animum expleat discendi cupidum, rerum copiam inuenturum esse apparet. Prae aliis memoratu digna est egregia Auctoris dissertatio de monetis aureis et argenteis regum Franciae, tertii stemmatis, variarumque vrbium Franciae, quarum etiam imagines exhibentur. (V. II. p. 1319.) Neque minorem laudem merentur, quae de sigillorum antiquitate et vsu (V. III. p. 793.) alioque loco de *diffidationibus* dicit: (V. II. p. 101.) vbi litterae Caroli V. dantur, quibus

quibus hic Francisci prouocationi respondit. Immo, quis credat? medici quoque, quod placeat, inuenient, titulo, qui morbos complectitur, inspecto; vnde locum memorabilem de morbo Gallico excerpsimus, licet Auctor antiquiorem hunc morbum esse addat. Nam in Chronico Abb. Corb. legitur: *Anno salutis 1496. nouum morbi genus coepit in tota Francia, vulgariter Neapolitanus nuncupatus propterea, quod sub descensu Francorum in ipsum regnum primo ibidem inchoauerit. Dira lues et quam nulla sit actas experta: pauci pro numero aegrotantium extincti, sed multo pauciores a morbo servati.* (V. II. p. 1341.) Vno verbo, luculentissime ex hoc Glossario Sec. XIII. XIV. et XV. mores, opiniones, ritus, seria lususque cognosci possunt. Nil enim, quod alicuius momenti esset, Auctor praeteriit. Quae quidem omnia eo melius potuit exponere, quo maiorem habuit copiam adeundi excutiendique tabularia Galliae, quoque diligentius ibi seruatas chartas litterasque publicas examinauit. Nam quod dicit " se authenticis „ chartophylacii regii codicibus ad Ca„ rolum VIII. quotquot sint, a nemine

„ hacte-

„ hactenus eo consilio lectis, nec fortasse „ vnquam legendis, vsum fuisse," minime vana ostentatione rem auxit. Quae si consideramus, iure quodam suo Auctor veniam errorum, quos in tanto opere quotusquisque nostrum vitare vel praestare potest? mitiusque iudicium ab lectore et exspectat et postulat. Nam eum, *expensa laboris huius molestia, si in immenso hoc quasi pelago a recta via interdum forte deflexerit, sibi indulgentius haec condonaturum esse*, merito sperat.

Dicenda quaedam restant de Volumine *quarto*, indicandaque, quae illo continentur. Primo loco apparet Glossarium Gallicum, in quo antiqua verba Gallica explicantur nouis, sumtum cum ex Cangiano, tum ex hoc opere. Voci obsoletae aut detorto sensu acceptae simplex et aperta interpretatio additur, indicato simul loco verboque Latino, cuius sub titulo quodque quaerendum sit. Sequuntur hoc Glossarium, in quo Auctor recte studuit breuitati, indices varii, non sine labore confecti. Primus est index scriptorum mediae et infimae Latinitatis, inde a collabente Latinitate, quae in Antoninorum AA. tem-

pora

pora incidit, vſque ad medium ſeculum XV. Cum enim multi ſcriptores in Gloſſario laudentur, quorum nec vſus ſit communis, neque ipſa nomina ſatis nota, et aetatem, qua quisque vixit, indicauit Auctor, et, vbi edita illius ſcripta reperiantur, libros commemorauit. Quo in indice conficiendo nimiam interdum breuitatem adhibuiſſe nobis videtur, ablegato vbique lectore ad eos, qui verboſius de his auctoribus egerunt. Atque etiam ipſe ſibi parum ſatisfeciſſe videtur, ſeque non ipſum hoc quicquid eſt laboris ſuſcepiſſe, ſed precibus voluntatique bibliopolae dediſſe fatetur. Huic adiuncti ſunt alii indices cum librorum, quorum auctores ignorantur, ſcriptorum Gallicorum, Italicorum, Hiſpanicorum, Anglicorum, aliorum, qui nondum editi ſunt, cum poetarum, tum proſaicorum, quibus in Gloſſario concinnando vſus eſt. Porro commemorat tabularia aliaque, quae chartas antiquas ſeruant, ſcrinia, nomina eorum, qui tabulas, vnde, quae prodeſſent, excerpſit, ediderunt, auctores et opera, quorum lectiones emendantur, resque ipſas, quas Gloſſarium complectitur. Hoc modo dum lectorum commodis optime

optime consulere studuit, duodecim indices contexuit. Tandem addita est *Cangii de Imperatorum Constantinopolitanorum seu de inferioris aeui vel imperii, vti vocant, numismatibus dissertatio.* Nouissimae enim Cangiani Glossarii editioni, cuius supra mentionem fecimus, non addita illa iam rarius occurrit. Adiecit vero Carpentierius et ea, quibus Cangius suum libellum ipse auxit, et notulas Io. Bottarii, qui illum ante *1755. aliquot annos* Romae edidit.

---

## II.

Ad nouum Thesaurum veterum Inscriptionum Cl. V. *Ludouici Antonii Muratorii* Supplementum, collectore *Sebastiano Donato*, Lucensi Presbytero. *Tomus primus*, in quo praeter Inscriptiones continentur opera, de quibus in praefatione: cum tabulis aeneis.

Lucae, 1765. ex typogr. Leon. Venturini. fol.

Vtilem laborem suscepit Cl. *Donatus*, iucundum rei antiquariae studiosis, cuique, si viueret, ipse Muratorius plaudere

deret.

deret. Meminimus enim, illum optare, vt succederet sibi vir aliquis doctus, qui susceptis suis partibus et corrigeret, quae in opere longo vix euitare potuit humana imbecillitas, peccata, et perficeret opus inchoatum. Quae quidem verba, quoniam huc inprimis pertinent, repetemus. "Postremo tandem loco, „inquit*, monitum hoc volo me non „exiguo labore hactenus collegisse, „quotquot marmora potui. Alia tamen complura sunt, quae inquisitionem meam effugisse arbitror, neque enim libri omnes, in queis eiusmodi merces consueuerunt exponi, „praesto mihi fuerunt, neque mihi licuit e patria efferre pedem, vt plura „inde operi meo subsidia compararem. „Verum si comes vita erit, nihil antiquius ducam, quam caetera expiscari, „marmora, tum hucusque edita, tum „identidem ab eruditis euulganda atque addidamentum, prout res feret, „inde confectum parare praelo, ne quid „desit amatoribus huiusce eruditionis. „Consilium vero meum si mors intercipiet, aliquis, vt spero, post me exurget, qui laborem meum et fortassis „etiam felicioribus auspiciis continuan-„dum

* in praef. Thes.

„dum suscipiet." Suscepit igitur hunc laborem Cl. *Donatus*, atque ita suscepit, vt et eruditionem atque acre de his rebus iudicium, et diligentiam studiumque nobis probauerit. Totum vero, quod in manibus habemus, opus in duas partes diuidi posse videtur, quarum altera complectitur libros doctorum virorum, qui de titulis antiquorum lapidum egerunt, altera exhibet titulos ipsos, qui in Muratorii thesauro desunt. Agamus de vtraque libri dote adeoque totam operis faciem describemus.

Praefationem, in qua Auctor de instituti ratione exponit, descriptio Musei, quod est Volaterris, Guarnaccii excipit. Breuiter illud Museum, e quo plerosque titulos ineditos Cl. *Donatus* accepit, describit Marius Guarnaccius. cuius ex narratione patet, multa illud continere et egregia antiquitatis monimenta. Animum inprimis aduertit pauimentum operis musiui Etrusci, quod in formam quadrilateram redactum vlnas LXXII. exaequat.

p. 5-8.

Inter ea opera, quae Cl. Auctor edidit, primum locum obtinuit liber *Maffei* vtilissimus, quo edito nos non paruo sibi beneficio Cl. *Donatus* obstrinxit.

Titulus

Titulus illius est: *Clarissimi Viri*, Scipionis Maffei, *Artis Criticae Lapidariae quae exstant, ex eiusdem autographo ab eruditissimo viro*, Io. Francisco Seguierio, *Nemausensi*, *fideliter exscripta et a* Sebastiano Donato *edita*, *variisque observationibus aucta et inlustrata: opus postumum*. Dicemus de libro paullo post. Nam adsunt alia, quae omitti non debent. Eruditam illi praefationem Cl. Editor praefixit, in qua et sententiam dicit de libro ipso, et quae ad illius historiam pertinent, narrat. Hanc sequitur Elogium Scipionis Maffei, cuius etiam effigies addita, a Friderico Reiffenbergio, Soc. Ies. scriptum, praefixumque alio tempore Maffei Historiae Theologicae Dogmatum et Opinionum de D. gratia: in quo inprimis placent, quae de humanitate et comitate viri olim eruditissimi dicuntur. Additus est index librorum, quos edidit Maffeus permultos, accuratus. Nunc ad ipsum librum veniamus. p. 9-482. p. 13-20. p. 21-28. p. 29-32.

Audiuerunt fortasse quidam lectorum nostrorum, Maffeum consilia agitasse de immensa titulorum collectione, qua, quicquid esset titulorum Graecorum, Latinorum veterum et Christianorum,

 com-

complecti meditabatur. Quod quidem consilium ipse exposuit iis, vt illius perficiundi rationem doceret nec leuem multis libri huius cupiditatem spemque iniiceret (*). Huic operi praemittere constituerat Artem quasi Criticam, qua regulas, titulos antiquos recte interpretandi, se traditurum esse pollicebatur. Hoc ille animo et magnum titulorum numerum collegit et manum iam admouit libro ipsi; quem, cum ad alia animum appulisset, imperfectum reliquit. Ex iis vero, quae in commentarios retulit, quaeque nunc edita sunt, intelligimus, valde dolendum esse, non ad exitum perduxisse consilia sua virum summum. Nam, vt recte ait doctissimus Hagenbuchius (**) qui rationem conscribendi Artis Epigraphicae systematis exponit, „ea adhuc fuit, nescio quo fato, studii nobilissimi infelicitas, vt, quum nullum „artium scientiarumque ceterarum ge-

„nus

(*) v. *Osservazioni letterarie*, T. I. p. 243. Maffei *Graecor. Sigl. Lapidar.* p. 84. & *Bibliotheque Italique* T. XV. p. 84.

(**) v. *de Graecis Thes. Noui Muratoriani Marmoribus quibusdam metricis diatrib.* p. 3. et 6.

„nis inueniatur, quod suis praeceptis „regulisque nondum sit traditum et ad- „strictum, vnum hoc, quod antiquita- „tem omnem praeclarissime complecti- „tur, et quasi vetustatis omnis apex est, „in systematis formam, quamuis vel „maxime vellet, cogi nondum potue- „rit." Ipse quidem Maffeus, modo ille in consilio perstitisset, nihil relicturus erat, quod huc pertineret. Sed, vt iam diximus, non perfecit ea, quae meditatus, quae pollicitus diu fuerat. Nam totus tertius liber, qui studii lapidarii historiam complecti debuit, recentiorumque auctorum, qui antiquos titulos collegerunt aut explicuerunt, indicem et censuram, desideratur. [Contenti igitur esse debemus iis, quae in docta praefatione, quae nouam Gruteriani corporis editionem ornat, de studii lapidarii historia dicuntur.] In prioribus quoque libris, quos Italice scripserat, quosque Latine Cl. *Donatus* reddidit, non pauca desunt, quorum explicationem procul dubio Maffeus otio maiori reseruauerat. Solus liber quartus, qui nunc tertius est, integer totusque elaboratus fuit ab auctore suo. Breuiter indicabimus librorum singulorum argumenta.

p. 2-10. In *L. I.* de litterarum primo inuentore agit, et tempore inuentionis: quae sint antiquissimae litterae, quaerit: tum ad obeliscos transit, eorumque signa vllo modo explicari posse negat. Scalpta enim eiusmodi marmora pictaque alia eodem fere modo monimenta scripturam nequaquam praeferre, notasque illas nullius generis esse litteras. [Forte non omnis spes abiicienda est. Certe quae Cl. Deguignes eo loco disputauit (*), vbi originem Sinensium ex Aegypto repetiit signaque illorum cum Aegyptiorum signis comparauit, me, vt putem, olim certiora de obeliscorum figuris dicturos esse viros doctos, commouent.] Praeterea haud facile esse, antiquissimas litteras, quibus Hebraei vsi, (nam his inuentionem litterarum tribuit) cognoscere: Samaritanorum tamen litteras reliquis antiquiores videri.

In *L. II.* de inscriptionibus agit, quae a Graecis scriptoribus commemorantur. Nam quia multis exemplis constat, veteres quoque auctores deceptos esse et falsos titulos attulisse, quid sequi debeamus,

(*) v. *Memoire dans lequel on prouve, que les Chinois sont une Colonie Egyptienne.* Paris 1759.

mus, docet. Totum vero aeuum distribuit in quatuor periodos. Primam antediluuiano tempori adsignat, quam Hebraicam dicit appellari posse, cum nihil constet, nisi quod de Iudaeorum gente diuinus auctor memoriae prodiderit. Secundam ex Varronis sententia obscuram vocat siue incertam, quia et fabulis scatet, quibus omnis veritas opprimitur, et scriptoribus caret, certe nullos nobis tradidit, nec aeram stabilem habuit. Tertia aetas historica dici potest, seu Graeco-Romana, quae ab Olympiadum institutione et a Roma condita initium ducit. Quarta est Christiana, inde a Christi natalibus. Iam commentitios esse omnino pronunciat titulos omnes, quicunque a priori temporis periodo repetantur: pro suspectis habendos esse, quos veteres auctores e secunda aetate arcessant: vanos esse et fictos omnes, qui e sepulchris deorum accepti dicantur, vel qui ad eorum res gestas pertineant et tanquam aequaeui ferantur: etiam commentitia esse vetustissimorum regum monimenta, quorum non solum facta, sed ipsa nomina incerta et ambigua sint: huc pertinere titulos quos Osimandiae et Semiramidis

tumulis tribuant Diodorus et Polyaenus. Huc referenda etiam non pauca epigrammata, a veteribus exhibita, quae ad heroas aliosque viros fabulosae aetatis spectent: mentionem saepe fieri in iis fabularum, quae multo post excogitatae demum fuerint: sic Pausaniam non semel deceptum fuisse. Neque tamen omnia esse monimenta reiicienda: non dubitandum esse de Sesostris monimentis, quae Herodotus viderit, nec de tripodibus, quos idem adspexerit Thebis in Boeotia. Quod denique ad tertiae aetatis titulos attineat, innumeros commemorari ab auctoribus veros, quorum plurima pars fidem mereatur, sed inesse etiam falsos et dubios. Inprimis priorem historicae aetatis partem redolere non parum obscuritatem et incertam fidem mythici temporis. Minus dubios esse titulos inde a bello Peloponnesiaco positos, sequentiumque annorum certiores. Multos commemorari titulos ab auctoribus, qui non inscriptionum auctoritate fruantur, sed exercitationis tantum caussa compositi sint: aut nunquam eos insculptos lapidibus fuisse, aut certe non eo tempore, non ea occasione, quam mentiantur.

Huc

Huc pertinere Anthologiae Graecae libros IV. V. VI. pluresque titulos, a Laertio commemoratos. Esse hos procul dubio exercitamenta ingenii, rhetoribus aetatis serioris tribuenda. Quibus dictis, attingit (nam non perfecit hanc partem) titulos, qui ad Latinos pertinent, et in Graecorum scriptis occurrunt. In altero huius libri capite agit de titulis, qui a Latinis scriptoribus commemorantur. Inde relatos a Cicerone, Liuio, aliis recenset, quidque de iis iudicandum sit, exponit.

*L. III.* reliquis est copiosior summamque auctoris eruditionem vsumque, multorum annorum industria comparatum, ostendit. Habet ille egregia praecepta, ad quae exigendos esse monet titulos veteres, si veros a falsis distinguere velimus. Diuisus est in capita IV, quorum primum ad titulos Graecos pertinet, et septem regulas continet. I. Inscriptionum Graece loquentium paucae deprehenduntur spuriae, si cum Latinis comparentur. "Neque enim, addit, „vllum est omnino in tanta debacchan-„tium falsariorum libidine monumenti „genus, in quod ii sibi minus licere „putauerint." II. Marmorum inspectio non

non parum conducit ad titulorum veri-
tatem explorandam. Hinc indicat, qui-
bus marmorum antiquitas deprehenda-
tur, signa, formam lapidum et figuram,
litterarumque scripturam. III. Inscri-
ptionum verba atque argumenta exami-
nanda sunt. Suppositios monet esse ple-
rumque titulos, qui pro funebri aut ho-
noraria, aut historica aut alius generis
epigraphe Graecam aliquam sententiam
exhibeant, siue antiqui scriptoris locum
vel hemistichion aliquod. Obseruanda
esse inprimis epigrammata nota *iam pri-
dem* et in Anthologia recensita, quo-
ties ea lapidibus impressa cernantur.
Nam fraudem hac arte commissam esse
non semel. Quo loco etiam Auctor
agit de nominibus artificum, monimen-
tis additis, aut hominum, quorum effi-
gies proponuntur. Praesertim ostendit,
in Iul. Caes. Capacii *Historia Neapoli-
tana* paucissima esse epigrammata Grae-
ca, quae suspicione fraudis careant.
„Cum, inquit, eruditis viris studiisque
„omnibus floruerit semper vrbs illa re-
„galis, fuit, puto, superiori seculo, qui
„siue Graeci styli exercendi causa, siue
„ad antiquarios tentandos atque expe-
„riendos, siue alia quapiam ratione in-
„ductus

„ ductus eas Inſcriptiones compoſuit."
Fictam quoque eſſe docet celebrem epi-
ſtolam Graecam a Tyriis, Puteolis com-
morantibus, datam ad Tyriorum ciui-
tatem, editamque a Grutero * et aliis. * p. MCV.
IV. Inſcriptiones recte deſcribendae
ſunt, cum ex litterarum omiſſione vel
permutatione errores non pauci oriantur.
Quod praeceptum illuſtratur, recenſitis
peccatis doctorum virorum. V. In-
ſcriptiones ſumma diligentia reſoluen-
dae ſunt: vbi inprimis commendat
accuratam curam, maiorem litterarum
formam in communem ſcripturam con-
vertendi. VI. Inſcriptiones ſumma cir-
cumſpectione emendandae vel ſupplen-
dae ſunt. VII. Graecorum epigramma-
tum verſio ardua, ideoque ſaepiſſime
a viris doctis in eorum interpretatione
peccatum eſt. Illa difficultas oritur a
nominibus hominum propriis, ab el-
lipticis formulis, a verbis raris, quae
ſcriptores non adhibuerunt, quae non
in Lexica relata ſunt, aliisque a cauſis,
quae omnia auctor multis exemplis il-
luſtrat. In cap. II. transit ad titulos La-
tinos eorumque explorandorum ratio-
nem et artem tradit. Duplex vero exa-
men commendat, cum quod oculorum

ope peragitur, tum quod mentis et doctrinae subsidio instituitur. Quae vero monuit in hoc capite, ea in sequenti ad ipsum vsum transfert. Nam vrbes celebriores Italiae perlustrat examinatque titulos quamplurimos, eruditorum ferme consensu receptos, sed dubiae tamen auctoritatis Nostro visos. Licet etiam obseruet, raro esse spuria epigrammata, quibus simulacra sculpta aliaque ornamenta sint addita, tamen hoc quoque monimentorum genus tangit et nonnullos titulos in dubium vocat. Hoc vero in capite quemadmodum quae sub oculos cadunt Auctor examinauit, ita in Cap. IV. titulorum, qui in libris tantummodo editi exstant, examen instituit. Primum e Gruteri Corpore ingentem excerpit numerum inscriptionum, quas suspectas habet: tum ad Reinesium transit, cujus monimenta non maxima auctoritate et fide digna existimat, cum ille non solum scriptoribus quibuscunque eas exhibentibus, sed etiam saepius schedis, praesertim Langermanni, se credulum praestiterit: porro Sponii Miscellanea Eruditae Antiquitatis excutit, et ad Raph. Fabrettum progredi-

tur,

tur, cuius collectio ceteris fere omnibus praestare Nostro videtur, "quod „ prima dici possit, quae spuriis et com„ menticiis inscriptionibus tam foedum „ in modum non scateat." Tandem recenset epigrammata, quae in his collectionibus non exstant, sed ab aliis edita sunt. Inuitauit nos famosa *Aelia Laelia Crispis*, cum illius nomen contemplaremur, ad cognoscendam Auctoris de re, toties praeter necessitatem examinata agitataque, sententiam. Iure ille totum monimentum reiicit, tanquam nouum et ineptum. "Antiquitatis, ait, p. 473.
„ latua in ipso epigrammate nulla: of„ ficit statim, quod scriptum titulos con„ tineat, quos vetustis funerariis lapidi„ bus nunquam insculptos vidimus, sed „ e recenti commento non semel: offi„ cit deinde nugax sermo et ineptus et „ nihil dicens. Quam futiliter monu„ mentum ipsum *nec molem*, *nec pyra„ midem*, *nec sepulchrum* esse mago iste „ praedicat! qui Grammaticam minime „ consuluit, cum *Androgina* dixit pro „ *Androgynus* et *iacere aquis*, *iacere* „ *terris*, ac, quod lepidius est, *iacere* „ *coelo*. Nomina ipsa mendacium sta„ tim detegunt. *Crispis* siquidem nec

„ Roma-

„Romanorum cognomentum est, nec
„Graecum: cur non *Crispa* dixissent, vt
„Latina effert lingua. — Peccatur item
„in altero, cum trium nominum homo,
„*L. Agatho*, *Priscus*, inter Romanum
„praenomen ac cognomentum gentili-
„tii nominis loco libertinum cognomen
„ridicule inserat." Quae quidem Aucto-
ris sententia verissima est, in qua acquie-
scent posthac viri docti, neque, vt ad-
huc fecerunt, tempus chartasque otiosi
forte monachi ineptiis explicandis per-
dent. [Haec de Maffeiano libro, cui
Cl. *Donatus* animaduersiones addidit
eruditas, in quibus interdum integra
epigrammata exhibuit, vt eo melius de
auctoris sententia iudicari posset, et alia
notauit non contemnenda. Quod vero
ad rem ipsam attinet, equidem non
nego, vix satis mirari me potuisse, quo-
modo Maffeius tam ingentem titulorum
antiquorum numerum, tanquam fictum
recentiori aetate, reiicere potuerit. At-
que etiam ipsi *Donato* consilium illius
*Praef.* mirabile visum fuit. "Quis credat, in-
p. 17. „quit, in absolutissimum Gruterianum
„corpus, in Reinesianum syntagma, in
„Sponii Miscellanea, in Fabretti col-
„lectionem tot lapides spurios irrepsisse?
„Quot

„Quot obelo notauit Noster auctor, „quum eos pro sinceris admiserint hi „celeberrimi collectores? Esto: ali„quando peccauerint: an fieri potest, „vt in plerisque marmoribus emenden„tur?" Equidem video, non omnino omnia, quae notantur, epigrammata reiecisse auctorem: subdubitasse de aliis: alios titulos ad examen reuocandos censuisse: alios existimasse interpolatos. Sed modum tamen omnem excessisse nec sat obseruasse quaedam videtur, quae antiquorum monimentorum interpreti obseruanda esse censemus. Primum enim quis negare audeat fuisse etiam Romae multos, qui affectationem frigidam et puerilem generosae et simplici orationi praeferrent, affectatique huius nitoris documenta lapidibus insculperent? Notum est Maecenatis exemplum, cuius oratio aeque soluta fuit, quam ipse discinctus (*). Estne vero credibile, eiusmodi, quorum corruptum erat de eloquentia iudicium, homines in monimentis alia oratione vsos fuisse, quam in sermone, in scriptis adamarent?

Quare

(*) vid. *Antholog. Veter. Epigr. Latinor.* L. II. p. 257. et *Lettres de Mentor.* p. 187.

Quare non omnes titulos, licet alienos ab antiqua simplicitate et recto orationis generi aduersos, ideo reiiciendos puto. Deinde constat multis exemplis, quae ab auctoribus titulorum recte et bene dicta scriptaque essent, deprauata fuisse a lapicidis, siue ob imperitiam, siue ob nimiam festinationem, siue alias ob caussas. Denique quot antiqua monimenta non accurate satis descripta sunt a viris eruditis. Quotidie videmus, ab iis, qui ipsos lapides inspiciunt et examinant, emendari non paucos errores, qui antea titulos eorum culpa, qui illos ediderunt, obsidebant. Quae cum ita sint, in reiiciendis antiquis titulis admodum caute circumspecteque nos versari debere arbitror, nec reiicienda esse omnia monimenta, quae consuetudini, quae vsui loquendi, quae regulis nostris, collectis ex plurimis exemplis, aduersentur, cum titulus, licet sit vitiosus, tamen antiquus esse possit. Quare nec mihi Maffei ratio, quamuis magnam ingenii vim doctrinaeque copiam ostendat, probatur, qua mihi omnis titulorum fides antiquorum labefactari et euerti videtur. ] Progrediamur ad reliquos libros, qui hac parte continentur.

II.

II. *Obseruationes Cl. V. Iosephi de Bimard la Baslie Baronis montis Seleuci ad nonnulla loca noui Thes. Veter. Inscriptionum Cl. V. Lud. Ant. Muratorii.* Quae quidem obseruationes dignae sunt reliqua fama viri egregie docti, qui titulis non paucis maculas, quibus deformati, abstersit. p. 483-504.

III. *Clarissimi Cannegieteri Epistola ad Cl. V. Iacob. Philipp. Doruillum de inscriptionibus quibusdam Sylloges Muratorianae.* Opportune subiunctae sunt Cannegieterianae animaduersiones Bimardianis, quia has saepe respiciunt. p. 505-540.

IV. *Lapidum vetustorum Epigrammata et periculum animaduersionum in aliquot classica marmorum Συνταγματα, accurante* Christophoro Saxio. Notum est, hunc librum, singulari diligentia confectum et iam alio tempore * Lipsiae editum, magnam auctori famam apud intelligentes rerum arbitros conciliasse. Nam in eo et maculas eluit multas, quae celeberrimas marmorum collectiones obsident, et ipse primus nonnullos titulos edidit, et monuit vbique, quae neminem legisse poeniteat. Vellem in nouae editionis fronte *Brublianum* nomen omissum fuisset, cui amicus meus p. 541-624.

* a. 1746.

vt

vt tempori inseruiret, sicut multi popularium meorum, librum suum olim inscripsit. Nimis enim diu additum fuit illud immortalibus summorum virorum nominibus, qui aut ipsi recte de ingeniis et eruditione iudicarunt, aut litteras virosque doctos ornarunt praesidio suo et liberalitate. Sunt tandem posteritatis causa, quam fallere nefas duco, ea dicenda, quae antea multi tacuerunt, aut quibus contraria dixerunt.

p. 1-207. Progrediamur ad partem secundam, qua exhibentur *supplementa marmorum in classes descripta.* Muratorius enim multos titulos in Thesauro omisit: idem accidit Grutero et Reinesio: multi quoque post illorum mortem inuenti sunt. Inde Cl. V. collegit omnes inscriptiones, quae a triumuiris illis aut non editae, aut aliter editae sunt, excerpsitque eas e Sponii, Donii, Goriique operibus, e Museo Veronensi, aliisque libris. Qua via necessitatem tollere studuit, tot volumina emendi, quibus tituli antiqui continentur. Accurate semper indicauit locum, vbi exstet titulus, et librum, vnde sumtus sit: adposuit varias lectiones, interdum etiam breues notas: adiecit quoque illorum animaduersiones

flores non raro, quorum e libris titulos petiit. Classes vero titulorum fecit quatuor. Prima spectat ad Deos, templa, aras, dona sacra, pontifices, sacerdotes aliosque sacrorum ministros: altera ad Augustos Caesares. Cui parti insertus fuit eruditus V. Cl. *Io. Ern. Immanuel Walchii* libellus *de marmore Hispaniae antiquo, Vexationis Christianorum Neronianae insigni documento*, Ienae editus.* Cui libello duo alios vt in sequentibus Voluminibus adiungat, Virum Cl. hortamur, quorum titulos infra scripsimus (*). Nam et argumenti necessitudo hoc postulat, et praefert vterque libellus eandem eruditionis praestantiam, quam in illo merito laudamus. Quarta classis habet Consules, vbi e fastis Muratorianis Auctor seriem consulum eorum annorum excerpsit, ad quos pertinent dati lapides. p. 99-136. *1750.

Non

(*) *Christianorum sub Diocletiano in Hispania persequutio* Ienae, 1751. 8, *Persequutionis Christianorum Neronianae in Hispania ex antiquis monimentis probandae vberior explanatio.* Ienae, 1753. 4.

Non omittendae sunt tabulae, qua-
p. 34. rum sit in fronte operis mentio. Prima
exhibet statuam Herculis, a Glycone
Atheniensi sculptam, quae Museum
p. 198. Guarnaccium Volaterris ornat: altera
ostendit Diptychon Lucense Areobindi
Cos. an. aer. Chr. 506. e bibliotheca
p. 201. capitulari Metropolitana depromtum,
et tertia Diptychon Compendiense Filoxeni Cos. a. aer. Chr. 525.

## III.

### Musei Kirkeriani in Romano Soc. Iesu collegio Aerea notis illustrata.

Romae, ex typogr. Io. Zempel, Tom. I. 1763. pagg. 94. tab. 23. Tom. II. 1765. pagg. 94. tab. 22. chart. magn.

Multis abundat signis aereis Museum Kircherianum, auctum ornatumque quorundam liberalitate ita, vt perpaucis in locis tantum aereorum monimentorum numerum inueniamus. Horum edendorum laminarumque aenearum beneficio communicandorum cum viris doctis initium factum esse eo libentius intelleximus, quo elegantius arti-

ficum

ficum manus eorum imaginem reddiderunt. Scite quidem lineas duxit *Gregorius Iustus* *, radioque figuras * (*Giusti.*) insculpserunt laminis *Ignatius Benedictus* *, *Io. Octauianus*, *Ant. Zaballus*, *Nic. Mogallus*, *Franc. Barbaza*. (*Benedetti.*) Ipsa quoque operis forma augustam speciem praebet, oculosque, siue chartarum et litterarum magnitudinem, siue alia ornamenta spectes, allicit et delectat. Quo aegrius ferimus, pulcherrimas chartas puerilibus Editoris, cuius nomen ignoramus, commentariis maculatas fuisse. Nihil enim hi aliud continent, quam vulgares rei mythologicae expositiones, quae quouis in libro inueniuntur, quaeque eo molestiores sunt, quo verbosius ab isto homine, qui horum monimentorum interpretationem suscepit, repetuntur. Nonne indignemur, si in hoc opere legimus verbosas disputationes de venatione, cuius antiquitatem inde vsque ab Esauo Auctor repetit (T. I. p. 18.) de caestu (p. 33.) de Sphinge (p. 49.) de armillis, quasi non extet Bartholini liber, (p. 34.) et de Castoris atque Pollucis fabula, cuius idem dat physicam interpretationem. (p. 41.) Nonne irascemur auctori, qui

 de

de petaso et caduceo Mercurii, (p. 74.) de natalibus atque armis Palladis (T. II. p. 45.) agit? Nunquam vero intolerabilior est iste homo, quam quoties philosophum agere voluit. Tum enim sententias loquitur de pace et bello, (T. II. p. 65.) ab ipso sole materiem philosophandi repetit, (T. II. p. 33.) et quantus quantus est, nil nisi sapientia videtur. (T. I. p. 65.) Quis non pro his nugis elegantes de arte et manibus artificum disputationes legere malit? Sed artium videndarum et aestimandarum elegantia paucissimis data est. Nos tabularum argumenta recenseamus.

Voluminis *primi* octo priores tabulae pertinent ad memorabile vas aeneum, descriptum accurate a Cl. Winkelmanno (*), Etrusci operis, vt et lineae docent et ipsius argumenti exhibendi ratio, sed a Romano artifice elaboratum. Nam ex altera parte legitur: DINDIA MACOLNIA FILEA DEDIT. et in altera: NOVIOS PLAVTIOS MED ROMAI FECID. Quod quidem scripturae genus vetustatem summam indicat, et proxime abest a sermone columnae rostratae, C. Duillio positae.

(*) v. *Geschichte der Kunst des Alterthums.* P. I. Cap. V. p. 290.

positae. Litterae ipsae Latinae quidem sunt, sed non paruam habent cum Etruscis similitudinem. Winkelmannus vero easdem antiquiores censet, certe magis ad Etruscarum formam accedere dicit iis, quas inscriptio L. Corn. Scipionis Barbati praefert. De ipso quidem vase von sat constat Editori. Neque enim certo se scire profitetur, vtrum illud vrna fuerit ad seruandos cineres Dindii Macolnii, an genus quoddam aediculae, post mortem patris a filia consecratae. Praeterea narrat, continuisse hoc vas pateram aeream et acerrae ligneae reliquias. Nos partes singulas illius contemplemur.

*Tab. I.* habet ichnographiam vasis, cuius partes reliquas septem tabulae ostendunt. Tres pedes vasis sunt vna eademque forma. Videmus adolescentem inter voluptatis genium et Herculem constitutum, quorum vterque illum ad se videtur allicere. [Habes hic imaginem fere similem celeberrimae de Hercule in biuio constituto historiae, cuius inuentor Prodicus fertur, quam Xenophon suauissime narrauit (*),

 quam-

(*) Xenophont. Memor. Socrat. L. II. c. I.

quamque praeclarissimi cuiusque aetatis scriptores certatim imitati sunt (*).]

*Tab. II.* aduersa facies trium signorum, quae manubrii loco sunt, cum adimendum est operculum, quae vasi insistunt, brachiis consertis sese complectentia. Inesse quiddam his signis, quod ad religionem pertineat, inde Editor colligit, quia eorum signorum, quae medii latus vtrinque tegunt, alterum situlam, alterum cornu tenet. Vtriusque enim fuit in sacrificiis vsus instrumenti. Faunorum esse ea signa suspicatur ob *subrusticum* vultum, capillos hirsutos, ferinas aures, caudam, et pellem siluestrem. Media persona, qua putat Dindium adumbrari, habet coronam gemmatam, bullam pectore dependentem, vestemque praetextam et stellulis conspersam.

*Tab. III.* Auersa facies huius, quod descripsimus, symplegmatis.

*Tab. IV.* In lamina operculi superiore visitur leonis et gryphis certamen, in pugnam procurrentium pro bouino capite, quod in medio iacet. Per totam operculi aream circumducta est

(*) v. Lucian. de somnio T. I. p. 5. Maxim. Tyrium, diss. IV. Sil. Italic. L. XV. alios.

eſt venatio, non modico venatorum et ſilueſtrium ferarum apparatu. Placet hoc loco ingenua Editoris vox: *Ego arbitror, multa huiusmodi accipienda ſimplicius eſſe, nec praeter id, quod oſtendunt, cogitandum vlterius.* p. 17. Certe Caylio (*), quo pauci elegantius antiqua monimenta examinauerunt feliciusque interpretati ſunt, inter virtutes ſapientis antiquitatis interpretis habitum fuit *aliqua neſcire.*

*Tab. V.* Altera ſuperioris laminae, adeoque reliqua venationis, pars, quae iterum leonem cum gryphe pugnantem exhibet. Vbi Auctor obſeruat, antiquos artifices valde amaſſe gryphorum imagines maximeque idoneas ad ornatum monimentorum eas indicaſſe. Inde ſculptos gryphos in cippis ſepulcrorum marmoreis, pictosque in parietibus, vt in porticibus Vaticanarum aedium Raphael eosdem pinxit. Reliqua huius vaſis latera hiſtoriam Argonauta-



(*) dans cette étude il faut ſouvent oſer ignorer & ne pas rougir d'un aveu, qui fait plus d'honneur, que l'étalage pompeux d'une érudition inutile. v. *Recueil d'antiquités T. I. praef.* p. 3.

gonautarum praeferunt, graphio insculptam.

*Tab. VI.* aduentus Argonautarum ad Bebryces. Obuersa pelago prora nauis stat littore: in puppi sedet speculator: in ipso foro nauis dormit aliquis, alio extra nauim in arena sedente atque tenente ramum: tres reliqui in sarcinis et vasis exportandis occupati. Scala naui apposita. Adest etiam Silenus, deformior, risu solutus. Sedet ille et cachinnans ventrem tenere videtur.

*Tab. VII.* Argonautae quatuor hastis armati, inter quos forte Iason et Castor. Etiam Saturnus visitur, senior, promissa barba, cogitabundus, pallio inuolutus, alatus. Quod vero mirum videtur, ipse Macolnius in elatiori loco pallio insidet suo, bulla ex collo pendente, quasi adspiciat ea, quae fiunt.

*Tab. VIII.* Pollux caestu victum Amycum arbori alligat, aduolante Victoria, quae dextra coronam, sinistra vittam fert, adstante Pallade, sedente Apolline. Hanc tabulam multas ob caussas memorabilem etiam Cl. Winkelmannus edidit (*).

Has

(*) v. libr. laudatum, p. 289.

Has fabulas sequuntur paterae non paucae, quarum binas tabulas quaeque complectitur, Etrusci operis omnes. Equidem in his nil inuenio, quod earum editionem commendet, praeter antiquitatem. Praeterea sunt harum paterarum argumenta obscura et dubia, licet ea Auctor a Graecorum fabulis et Troiani belli historia petita esse censeat. Vnde eodem iure plerumque negare licet, hoc vel illud exhiberi, quo alius affirmare sibi id videtur. Quaedam etiam litteris Etruscis notatae sunt, quibus nomina personarum indicantur; id quod non leue antiquitatis indicium esse recte Auctor monet. Obseruasse p. 38. mihi etiam videor aliam huius ambiguitatis caussam. Non credo, semper artifices ad historiam aliquam respexisse, quoties plures vno Deos in pateris his contemplamur. Quid, si enim illi tantum Deorum effigiem exhibere voluerunt, solamque faciem adumbrare? Interim breuiter paterarum argumenta indicabimus ex sententia interpretis.

*Tab. IX.* 1. Patera in vase ante descripto reperta. Pollucis cum Amyco pugna, aut potius apparatus pugnae. Pollux caestibus indutis se certamini of-

 fert:

fert: Amycus, cui, homini fero et filuis innato Diana adſtat, ſedet et Pollucem contemnere videtur. 2. in hac patera duo ſaltatores conſpiciuntur, bracchiis in tergum reiectis, cancellatis cruribus, breui et ſuccincta tunica, clypeis ad latera appoſitis. Quare Auctor putat, Pyrrhichae aliquod genus indicari. [Numos, in quibus armata ſaltatio conſpicitur, commemorat Spanhemius (*).]

*Tab.X.* 1. Dioſcuri. capiti ſtella adeſt. inter vtrumque cygnus. 2. Diomedes et Vlyſſes, cui, tanquam doli ſignum ſerpens appoſitus, inter quos Palamedes ſupplex. [Non memini ſerpentis ſignum in antiquis monimentis vnquam ad fraudem indicandam adhibitum fuiſſe. Longe auguſtius ſalutis, diuinitatis, aliarumque virtutum ſymbolum eſſe ſerpentes ſtatuis additos ſcio, et viri docti obſeruauerunt (**).]

*Tab.*

(*) v. Obſeru. in *Callimachi Hymn. in Iou.* v. 53.

(**) v. Cuperi *Harpocrat.* p. 59. Seguini *Numiſm. Select.* p. 300. et Lamium in *Saggi di diſſertazioni — lette nella nobile Accademia Etruſca dell' antichiſſima città di Cortona.* T. IV. p. 33. et alios.

*Tab. XI.* 1. Causeus, qui hanc pateram in Museo Romano edidit, putauit raptum Helenae indicari. Auctor, quia nil violentum adest, putat Astyanactem exhiberi, qui ad matrem pauidus fugit. 2. Pan, deformi corporis habitu, lyram tenens, ante fugiente Syringe: Panis capiti imminet tigris. Patera cincta est pampinis et racemis.

*Tab. XII.* 1. Extra circulum duae Sphinges, quibus forte artifex obscuritatem argumenti indicare voluit. Auctor putat sententiam Platonis (*), qui vitam hominis bigis comparat, latere. Sed tota haec interpretatio contorta est et inanis. 2. Paridis cum Oenone colloquium, quae ei patriae incendium praedicit.

*Tab. XIII.* 1. Iupiter sedens solio, cui adstant Hercules et Iuno, ramum oliuae tenens. Addita nomina: HERCELES et IOVEI. ad imum Iouis solium ab vna parte terminus, modium seu calathum capite praeferens, ab altera genitale membrum. Nam Auctor p. 54. Sphingibus putat moneri, aenigma hic esse, non historiae sed allegoriae ope soluen-

(*) ni fallor respicit Auctor Platon. Phaedr. p. 344.

ſoluendum. Non inepte Auctor haec explicat de Iunonis cum Hercule reditu in gratiam. 2. Vulcani et Mineruae, illi nubere recuſantis, certamen. Infra duo angues, qui forte ad Erichthonium reſpiciunt. Nam hic ex ea diſcordia natus eſt ſerpentinis pedibus.

*Tab. XIV.* 1. Iuuenis alatus, breui ſuccinctaque tunica, monili, armillis et inauribus ornatus, Mineruae ſedenti armataeque haſta et galea flores tradit. Leguntur praeterea verba: MENREA et LASAFECV. Gorius Genium Fecialem indicari putauit: Noſter myſteria quaerit arcanaque naturae ſcrutatur. quae repetere non eſt operae-pretium. 2. Saltatores.

*Tab. XV.* 1. Ad Paridis hiſtoriam pertinet patera, ſed argumentum non dixerim accuratius. 2. Bacchus Ariadnen accedens, quem Genius alatus cum corona ſequitur. Nam Bacchus a Venere acceptam coronam Ariadnae donauit, tandem inter ſidera relatam.

*Tab. XVI.* 1. Apollo et Mercurius, coram Minerua et Iunone de lyrae inventione agentes. [Fortaſſe etiam rectius hic iudicium Paridis quaerimus.] 2. tres

1. tres antiquissimae Musae, Melete, Mneme et Aoede, cum Minerua.

*Tab. XVII.* 1. iudicium Paridis, comitante Mercurio deas. 2. duo histriones, quales saepe in operibus Etruscis occurrunt.

*Tab. XVIII.* 1. Alatae Cereris imago inter duas spicas. 2. Pallas e Iouis capite prognata. [Non recte, credo, artifex imaginem paterae reddidit. Nam ego nil video quod hanc opinionem iuuet. Pallas etiam vestita apparet.]

*Tab. XIX.* 1. Hanc pateram Gorius vetustissimam et in ipsa picturae linearis infantia caelatam fuisse putauit. Est foemina, quam Gorius Libitinam, Noster Nemesin censet, gradienti similis magnis alis instructa, nuda, nisi quod breue amiculum ante pectus pendet. 2. historia Antiopae, Nyctei filia. [vnde haec Auctor colligat, quoue argumento ad hanc interpretationem adducatur, non assequor.]

*Tab. XX.* 1. Congressus et deliberatio Agamemnonis Vlyssis et Diomedis, de Rhaesi Thraciae regis aduentu. [Etiam hic vix certum argumentum interpretationis dare poterit Auctor. Ego ob stellas additas Castorem potius et Pollucem

exhiberi

exhiberi puto.] 2. Belli Troiani aliqua pars. Ego libere profiteor me ignorare reliqua.

*Tab. XXI.* 1. Minerua et Venus de bello Troiano deliberant. [mera coniectura] 2. Obſcurum argumentum. Sed Iouem hic exhiberi Auctori non credo, cum ob iuuenilem faciem, tum ob hederae frondem. Vtraque res non conuenit Ioui.

*Tab. XXII.* 1. Mercurius et Hercules, qui colloqui videntur. Hoc loco oblitus eſſe videtur Auctor eorum, quae antea bene monuit. Quis enim non videat, lecta illius coniectura? " Quid
p. 49. „ hi ſibi velint: alterne quidpiam deo„rum iuſſu alteri nunciet, aut tacite „nos doceant, nihil effici praeclarum „poſſe ſine labore et prudentia; refer„rine, quod caelati ita ſint, ad reli„gionem artificis debeat, an aliud ſpe„ctandum non ſit, in hac patera, quam „quod oculis intuemur, malo ab aliis „diſcere, quam ipſe ſtatuere." Immo Mercurius forte monet, non habendas eſſe difficiles nugas, nec rei omnium pretioſiſſimae vſum illum noſſe, qui vel exiguam eius particulam interpretationum eiusmodi leuitate perdat.

2. Apol-

2. Apollinem ad certamen prouocans Marsyas.

*Tab. XXIII.* 1. Mas et foemina ad fontis labrum stantes: haec in aquis formam explorat, ille in speculum inspicit. 2. patera Aegyptia, quae Isidem refert ex vtraque parte, seu potius loti florem, ita conformatum, vt pro caule habeat Isidem.

Magis nobis his pateris placuit Volumen *secundum*, quod signa aerea complectitur, Etrusci operis, nisi me omnia fallunt, fere cuncta, licet neque hic nobis omnino satisfactum sit. Nam nunquam obseruauimus magnitudinem signorum notatam esse, quod multas ob caussas iucundum esset. Deinde mirati sumus paullum modestiam artificum, quae certis corporis partibus folia applicuit. quae quidem pudicitia minime nobis necessaria visa fuit. Sed ipsa signa recenseamus.

*Tab. I.* Duo sigilla sub prima aeris fundendi initia facta, informia, pedibusque iunctis, Etrusci operis et singularis formae. Caput tegitur petaso oblongo: pectori inhaeret folliculum aliquod, manus dextra vasculum aliquantum protendit: tunica vsque ad imos

pedes

pedes descendit. Non male Auctor suspicatur, Mercurium esse, qui ante Ganymedem Iouis pocillator fuit. [Rem ipsam firmant Alcaei et Sapphus versus (*). Cl. etiam Winkelmannus (**) narrat, alterum marmoreorum candelabrorum, quae aedes Barberinianas ornant, Mercurium pincernam ostendere, vas manu tenentem.]

*Tab. II.* Figura muliebris, quam Gorius Anchariam existimauit, deam cultam ab Asculanis in Piceno et Fesulanis in Etruria, Auctor dubius haeret. [Forte est dea Aegyptia. certe vestis corpori adstricta, pedes iugati et coniuncti, manus ad latera protensa, Aegyptiae artis ingenium prae se ferunt.]

*Tab. III.* Mulier vestita, in cubitum reclinata, comto crine, toto corporis habitu ad laetitiam composito, duplici corona ornata: alteram tenet manibus, altera de collo suspensa. Auctor Floram censet. [Eiusmodi mulierum

(*) v. Athenae. L. II. p. 39. L. X. p. 425. Sapphus Fragment. ex edit. Wolfii p. 56.

(**) v. *Description des pierres gravées du feu Baron de Stosch.* p. 60.

lierum signa in tumulis veterum non raro visuntur.]

*Tab. IV.* signum Etruscum. Iuno amplo diademate conspicua, et vtraque manu papauerum capita, foecunditatis signa, tenens. vnde Auctor Iunonem pronubam existimat.

*Tab. V.* mulier Iunonis habitu, sub quo putat Agrippinam Tib. Claudii vxorem exhiberi.

*Tab. VI.* homo, supra pectus pelle caprina innexa, reiectaque post humeros, cauda et auribus hircinis, dextro humero truncum arboris gestat. Syluanus videtur, qui in titulo apud Gruterum *Dendrophorus* appellatur.

*Tab. VII.* Sol. nudus homo, si breuem excipias chlamydem, radiato capite, dextram protendit, sinistra sceptrum tenet.

*Tab. VIII.* matronalis habitus et plena dignitatis species forte Iunonem refert, aut Liuiam Drusillam Augustam sub Iunonis habitu.

*Tab. IX.* mulieris pulchrum signum, vsque ad vmbilicum, vbi imago desinit in hermam, frondentibus pomis succinctum. Caput et pectus lapillis baccisque distinctum, capilli in humeros

ſcite promiſſi, manus pectori decuſſatim impoſitae. Noſtro eſt Pomona.

*Tab. X.* Pallas, haſtata, cum aegide, ſingulari galea conſpicua; dextro bracchio inſidet noctua.

*Tab. XI.* Deus fluuialis. Iuuenis imberbis, galericulo, tribus roſis ornato, tectus; ſedet ad rupem, vnde fons emanat, haſtam ſeu baculum pro arundine tenet dextra, ſiniſtra pomum. quod indicio ſit, vt ait Auctor, fontem hunc eſſe, eumque ad pomarii alicuius irrigationem comparatum.

*Tab. XII.* Pallas armata, graui vultu, oculisque Martem ſpirantibus.

*Tab. XIII.* Monſtrum marinum, quod olim fonti inſeruiit, hianti rictu et dorſo ſpinis horrente, cui inſidet praecinctus frondem floribus Amor. vbi fruſtra myſteria quaerit Auctor.

*Tab. XIV.* Signum Etruſcum viri ſeminudi, accuratius exhibitum, quam a Montefalconio et Bonarrota factum eſt. Pallium antiquam ſimplicitatem oſtendit. Laeua coxendix habet titulum: C. POMPONIO VIRIO COS.

*Tab. XV.* Foemina, quam Victoriam cenſet, ſeminuda, crinibus ſcite pexis ſupraque frontem aggeſtis, quos medius

dius cingit lauri aut oleae ramus, monili ſingularis formae et armillis ornata, alata, ad columnam ſtat illique innititur.

*Tab. XVI.* Gladiator iuuenis, cuius caput vitta cinctum. In vtraque manu aliqua capuli pars reſtat. Erant enim, qui duplici gladio pugnarent. [At quomodo capilli bene compoſiti gladiatori conueniunt?]

*Tab. XVII.* Oris forma foeminea eſt: capillorum quoque ornatus foemineus: pectus et ſexus virilis. veſtis quoque a tergo defluens ad pedes interque crura collecta foeminam refert. Capite tenet concham ex earum genere, quas patellas vocant: humeris alae appoſitae. Auctor putat eſſe Venerem Victricem aut ſignum ex eorum genere, quae Panthea dicuntur, e Venere et Victoria compoſitum. Mihi videtur figura Etruſca.

*Tab. XVIII.* Iupiter tonans: gradienti ſimilis: dextra fulmen tenens, ſiniſtram tollens, cui incumbit chlamys. Multa hoc loco de Ioue nugatur interpres.

*Tab. XIX.* Opus Graecum, in quo ſummum artificium cum ſumma elegantia coniunctum eſt. In rupe leuiter ac-

 cliui

clivi linteoque instrata iacet Amor, capite supra dextrum bracchium reiecto, alis post tergum scite contractis, corpore vero tam affabre resupinato, vt proxime ad naturam accedat imago.

*Tab. XX.* Puer plane nudus. Ex argenteo oculorum circulo, papillae exciderunt. Nam vt Auctor post alios obseruat, veteres signis interdum oculos ex crystallo montana, ex argento, gemmisque inserebant. Cui artificio certos homines operam dedisse, e titulo antiquo intelligitur:

M. RAPILIVS. SERAPIO. HIC
AB. ARA. MARMOREA
OCVLOS. REPOSVIT. STATVIS
QVA. AD. VIXIT. BENE

*Tab. XXI.* Mercurius, talaribus et galero alatis, sinistra tenet globum, forte pomum Eridis, dextra pateram protendit: [quam pateram tenens saepe in gemmis apparet (*), vt alii dii, quasi libenter accipiant libationes ab hominibus, vt viri docti censent (**).]

*Tab.*

(*) v. Museum Florentin. Vol. I. tab. LXXI. n. 1.

(**) v. Bonarotae Coniect. et Expl. ad Monum. Etrusc. p. 110.

*Tab. XXII.* Bacchus iuuenis; crines longos vuae cingunt: nebris sinistro humero dependet: dextram tollit, sinistra vuam tenet: pedem imponit pantherae.

## IV.

*P. Virgilii Maronis* opera, varietate lectionis et perpetua adnotatione illustrata a *Chr. Gottl. Heyne:* accedit Index vberrimus. Tomus *prior.* Lipsiae, sumt. Casp. Fritschii, 1767. 8.

Hoc munere placaturam esse speramus Germaniam manes Virgilianos, grauiter nuper Ambrogianis ineptiis laesos vehementerque turbatos. Nactus enim est Virgilius interpretem elegantem et doctum, cuius opera illius lectionem non solum vtilissimam reddidit adolescentibus, accommodatamque ad ingenia tenera polienda, ad sensum et gustum pulchritudinis acuendum, ad iudicium de omnibus iis, quae ab arte et ingenio elaborata et expressa oculorum animique sensui subiici possunt, informandum, sed etiam iucundam eandem effecit viris eruditis. Quod quam vere

a nobis dictum fit, qui nihil hic amicitiae dedimus, intelligent ii, qui nobiscum bona huius editionis cognoſcere voluerint.

p. 21. Praefationi, in qua Vir Cl. de conſilio ſuo interpretationisque genere eleganter diſputauit, ſubiunctum videmus copioſum et accuratum cum codicum, tum editionum Virgilii indicem. Sed longe diuerſus ille eſt ab iis indicibus, quos plerumque hiſtoriae litterariae ſcriptores compilant. Ipſe enim Vir Cl. adiutus inſtructusque magnis bibliothecae Gottingenſis opibus, multas earum, quas commemorat, editionum in manibus habuit, (nam in tanta editionum Virgilii multitudine non fieri poſſe, vt omnes omnium temporum editiones aliquis habeat, ipſe Vir Cl. fatetur, vbi nullam ſe credere bibliothecam eſſe dicit, quae vel ſextam Virgilianarum editionum partem contineat) examinauit, vnde quaeque expreſſa et emendata, cognouit, et quanta cuiusque auctoritas eſſet, docuit. Dum igitur hiſtoriam codicum, qui ad nos peruenerunt, aut quorum editores Virgilii mentionem fecerunt, compoſuit, dum in editionum ordines et claſſes, ſtirpes

ſtirpes ac familias inquiſiuit, origines et propagines indagauit, earumque quaſi annales effecit, quaſi hiſtoriam contextus Virgilii accepimus, vtiliſſimam illam, et cuius ſimiles de quoque veterum auctorum confici optabile eſt, indicatis primis vulgatae lectionis ſeu textus fontibus, cauſſis, fatis et viciſſitudinibus. Vnde etiam intelliget quisque, eas inprimis editiones Virum Cl. diligentius recenſuiſſe, vnde aliquid ſiue ad Virgilianum textum auxilii, ſiue ad eius textus hiſtoriam praeſidii exſpectari poſſet.

Sequuntur commentarii de vita Virgilii. Primo vero loco poſita eſt Virgilii vita, quae ſub Donati nomine circumfertur, cui adnotationes Vir Cl. ſubiecit, quibus inprimis incerta, falſa et inſulſa, qualia continet multa illa vita, notat. De ipſa quidem hac vita ſic exiſtimat. Fundum huius narrationis deberi Donato, mox tamen eam, cum paſſim transſcripta ſit, modo a grammaticis, modo a librariis monachis, quorum nouam quisque narratiunculam, quam fando acceperit, exemplari ſuo intexuerit, ita fuiſſe interpolatam, vt nunc in tali farragine vix dici poſſit, quid Do- p. 115.

nati fide prodatur nec ne. Atque hanc rem vel ex eo manifestam esse putat, quod nullus facile codex sit, in quo non vita haec modo plenius, modo contractius perscripta legatur. vbi non inuenuste Vir Cl. fortunam Virgilii dolet cuius nomini ineptissimas fabulas stultorum procul dubio monachorum manus alleuerunt.
„ Mihi quidem, inquit, sortem magno-
„ rum virorum et fortunam saepe mirari
„ subiit, quorum nomen ad multam po-
„ steritatem propagatum, ita vt dignus
„ tanto ingenio aut tanta virtute immor-
„ talitatis fructus iis tandem, qui meriti
„ essent, contingere videretur, iis tamen
„ temporibus, cum genus humanum gra-
„ uibus superstitionibus captum erat, tan-
„ tam saepe sordium ex contagione se-
„ culi contraxit, vt omnis illa nominis ce-
„ lebritas ad inepta rerum miracula, mon-
„ stra ac portenta reuocaretur. In Vir-
„ gilii memoriam fabulis absurdis con-
„ taminandam omnes monachorum tri-
„ bus conspirasse videntur, qui, cum san-
„ ctorum suorum virorum memoriam
„ tot pudendis et stultis miraculorum
„ narrationibus foedarent, quid mirum,
„ si in poetae Romani laudibus ador-
„ nandis nec minus miracula, omina,
prodi-

„ prodigia et reliquam huius generis „ τερατολογίαν ad taedium vsque congessetunt." Huic addidit ipse Vir Cl. p. 142. Maronis vitam, digestam per annos, per quos eam quoque Ruaeus olim distribuit. Sed quia in hac multa ieiune tradi, multa parum acute coniectari, plurima praeteriri, eorumque loco aliena attexi obseruauit, nouam vitam ad eandem fere rationem conficere, quam illam retinere maluit. Non solum autem ea exposuit Vir Cl. quae ad poetae vitam pertinent, sed rerum etiam publice gestarum narrationem breuem cuique capiti praemisit, vt, quae siue in Virgilii vita, siue in eius carminibus, quoties poeta ad sua tempora respexit, cum illis aliquo modo coniuncta sint, eo melius intelligerentur. Hanc rationem etiam tenuit in ipsis commentariis, atque in argumentis Eclogarum et Georgicorum, vbi semper ea exposuit, quae ad tempora, quibus ea carmina scripta sunt, quorumque ex conditione eadem explicanda, cognoscenda, spectant. „Nam *Praef.* „ enim, ait, vita, conditio, fortuna, p. 20. „ auctoris et publica rerum facies, quam „ ipse ante oculos habebat, cum scribe„ ret, nota sit, multa in vnoquoque

 scriptore

„ scriptore obscura nec satis expedita
„ manere necesse sit. Quamobrem hoc
„ interpretationis genus, quod ex inte-
„ riore eiusmodi historiae notitia peti-
„ tum est, inprimis probandum esse exi-
„ stimamus."

p. 167. Vt Criticorum consuetudini, credo, Vir Cl. satisfaceret, adiecit testimonia de Virgilio, quorum non pauca ex Anthologia Latinorum Epigrammatum sumta sunt. Quod si vero de his libere sententia nostra dicenda est, vellem Vir Cl. ineptissimos istos et horridos Grammaticorum versus omnino omisisset. Nihil enim habent, quod aut delectet animum aut iuuet.

p. 196-206. Eclogis praefixa est venusta de carmine Bucolico disputatio. Eam nos non sine voluptate legimus, et Auctoris sententiam eo lubentius cognouimus, quo verius dicit, vix aliud esse carminis genus, in cuius natura constituenda adeo in diuersas sententias abierint, qui his de rebus tradiderint. Licet vero multi, e Gallia inprimis, illius indolem et artificium declarare conati sint, primum tamen e nostratibus Io. Adolph. Schlegelium veram huius carminis naturam ac rationem cum acute percepisse,

pisse, tum subtiliter designasse ac definiisse. Agit Noster primum de carminis bucolici origine eamque eo felicius indagauit, quo magis abhorruit a vana eruditionis ostentatione. Nam ipsam rerum naturam quam diuersas virorum doctorum sententias consulere maluisse videtur. Tum ad Theocritum transit, illiusque carminum naturam et propriam indolem describit: mox quid huic carminum generi conueniat, docet. Ita vero poetae in tractando argumento pastoricio versandum esse monet, vt partim pastorum suae gentis conditionem malis, quibuscunque prematur, cogitatione liberet, bona autem omnia passim in ea obuia et maiora efficiat et in vnum congesta ita imaginandi licentia exornet, vt cumulatissimam felicitate vitam adumbret; partim ad fabulas de primorum hominum vita et aetate aurea, nec non ad narrationes, siue de maiorum vita, antequam per vicos et vrbes habitarunt, siue de populorum Nomadum pastoritiamque vitam agentium moribus et institutis confugiat et hinc suo argumento colores petat. Hoc carminum genere multis modis inferius esse aliud, ad quod maior eclogarum p. 200.

Virgilii pars referenda est. Scilicet ad maiorem animorum voluptatem, rem, factum, aut casum nostrorum hominum, nostrorum temporum, coloribus et pigmentis a vita pastoritia petitis ornare et non modo ad fabulae bucolicae modum tractare, sed etiam in fabulam inter pastores gestam commutare, interdum etiam, rem in antiquorum illorum temporum simplicitate et securitate agi aut euenire, fingere licet. His expositis progreditur ad mores et sententias pastorum, monetque praeter alia, non naturam huius carminis statim tolli, si naturalis simplicitas, paullo horridior forte illa et incultior, nostra venustate et elegantia temperetur, quanquam prior illa ingenuis animis maiorem voluptatem afferre soleat. „Interdum, dicit, quid poetam negemus antiquam vitae pastoritiae rationem elegantiis et deliciis e nostra vita „petitis, modo ne plane aliis de caussis „abhorreant, temperare commode pos„se? vnde non adeo improbe factum „videtur, quod Galli nouum quasi bu„colicum genus, ad suos mores et „ingenia accommodatum, coluere. „Omnino poetae, vt in quocunque ge„nere,

„ nore, sic in hoc admodum ad iudicia „ et opiniones suorum ciuium ac tem„ porum respiciendum est, ne vanum „ quid et imaginarium sequi videatur. „ Non enim, quod vere pulchrum est, „ semper placet, nisi, praeter natiuas „ suas veneres, lenocinia quaedam, quae „ aetati nostrae grata et pulchra viden„ tur, asciuerit." Denique agit de Bucolicorum Virgilii omnium indole, cui cum Horatius *molle atque facetum* carmen tribuerit, hac laude aequabilem aliquam poetae elegantiam commendari existimat. Illam quoque quaestionem attingit, quae tam diuersis hominum iudiciis agitata fuit, an Virgilius Theocrito praestet. "Qua in „ comparatione, inquit, difficile est as„ sequi, quid magna eorum pars se„ cuta sit, qui Virgilium Theocrito „ in genere bucolico quam maxime an„ teferendum esse existimarunt: sed con„ suetudine fere, auctoritate, coeco ali„ quo amore et impetu eos duci videas. — „ Virgilio elegantiae laudem, dignita„ tis et doctrinae nemo inuidebit, sed „ simplicitate et naturali aliqua venustate „ rerumque copia ac varietate non ma„ gis cedit Theocrito, quam [illegible] na-

„ turae

„ tarae, quam vincere quidem illa operose „ in singulari aliqua re potest, sed in „ summa rei iners et vana habenda est. „ Verum etiamsi par laus vtrique in iis „ ipsis rebus, quae maximae sunt, esset, „ Theocritus tamen in eo primas tue„ tur, quod ea inuenit, in quibus re„ tractandis alter et poliendis se conti„ nuit; quod quamuis magno plerum„ que ingenio factum nemo neget, in„ terdum tamen tam sollicite Theocriti „ vestigia premit, vt sublegere potius „ illius et versus vndique conquisitos „ Latine convertere, quam suo ingenio „ vti videatur." Reliqua huius disputationis pertinent ad descriptionem et oeconomiam huius carminis, ad situs loci que et temporis designationem, quae cuiusque carminis argumento conueniat, et ad allegoricam Eclogarum interpretationem, cuius leuitatem et vanitatem bene castigat.

Cuique eclogarum praefixum est Argumentum, in quo artem naturamque carminis tradit, eminentiora loca indicat, quibus inprimis carminis laus et praestantia contineatur, ostendit, et alia, de reip. Romanae historia illorumque temporum rebus gestis commemorat,

rat, quae interpretationem carminis iuvant. Inprimis memorabile est argumentum, Eclogae IV. praemissum. Neque illubenter, credo, lectores viri eruditi et ingeniosi sententiam de carmine, cuius in interpretatione tot viri docti, vana religione capti, inanem operam posuerunt, cognoscent. "Inter omnes, „dicit, populos, magna inprimis calamitate aliqua oppressos, vaticinia cir„cumferri solent, quae, siue grauiora „minari, siue laetiora polliceri solent, „quae, necessaria rerum vicissitudine „melioribus aliquando succedentibus „temporibus, fere semper euentum ha„bent. Iam in magno illo numero va„ticiniorum et oraculorum, quae olim „partim superstitione, partim fraudi„bus hominum celebrata, et siue sub „aliis nominibus, siue sub Sibyllarum „nomine passim vendita fuere, quo„rumque inprimis magna celebritas in„ter bellorum ciuilium calamitates esse „debuit, et fuisse etiam memoratur, „vnum fuit aliquod, quod magnam „aliquam felicitatem futuram promit„teret eiusque descriptionem ab iis, quae „de seculo aureo memorassent poetae, „mutuaretur. Iam autem quascunque

„in

„ in hoc genere descriptiones habemus, „ siue in Orientis, siue in Graecis ac Ro- „ manis poetis omnes fere inter se simi- „ les sunt: bestiae ac ferae cicures, ser- „ pentes innocui, fruges nullo cultu na- „ tae, mare placidum, dii praesentes in „ terris, aliaque eiusmodi in omnibus „ memorantur. Hoc oraculo Virgi- „ lius commode vsus esse, et quae de „ aetate aurea, inprimis ab Hesiodo, me- „ morantur, ad ea tempora, in quibus „ hanc eclogam scriberet, et ad splen- „ didas ac magnificas spes, quas de „ puero circa id tempus nascituro con- „ ceperant homines, transtulisse videri „ debet." Iam pergit ostendere illum annum V. C. 714. Coss. C. Asinio Pollione, et Cn. Domitio Caluino, fuisse. Eo anno post summos belli ciuilis metus pacem compositam fuisse Maecenatis et Pollionis opera Brundusii, cuius quasi pignus fuerit Octauia, Octauiani soror, Antonio in matrimonium tradita. Illam fuisse e priore marito, Marcello, grauidam. Cum igitur ea pace confirmata tandem publica tranquillitas visa fuerit, satis commode Virgilium hunc tanquam fundum sui carminis facere potuisse, vt ex eo tempore auream

aetatem esse reuersuram diceret, eamque sententiam iis omnibus exornaret, quae a poetis de felicitate eius aetatis commemorari solent.

Non minores gratiae Viro Cl. debentur pro *Prooemio* Georgicis praefixo, in p. 111-113. quo nonnulla docte de ingenio carminis monentur. Summam Georgicorum laudem collocat in iunctura verborum leni ac molli, numerorumque, qui nihil duri, scabri, et horridi habent, artificio, in toto carminis nitore, cultissimaeque orationis verecundia et venustate: cum in argumento tam tenui et humili, quod ad rusticam orationis asperitatem tantopere non modo pateret, sed et deflecteret et inclinaret, omnia fuerint scite, honeste et liberaliter tractata, vt politum, elegans, et vrbanum ingenium vbique agnoscas. Esse enim eum proprium quasi Virgiliani carminis characterem, vt, si ingenium Homericum in inueniendis rebus desideres, si Theocriteam simplicitatem et natiuam aliquam venustatem frustra in eo quaeras, elegantiam tamen cultumque summum, eundemque rectum, purum, pudicum et decorum simulque elaboratissimum et exquisitissimum, facile obserues. In-

veniendi quidem sollertiam non maiorem in Georgicis, quam in reliquis Virgilii carminibus deprehendi. Adumbrata fere omnia, depromta et hausta plurima atque ad verbum conuersa esse et transsumta ex aliis, siue Graecis, siue Romanis poetis ac scriptoribus. Defuisse Virgilio diuinam illam noua et intacta ab aliis proprio quodam nisu proferendi vim, liberum illum animi per ignota et intentata vagantis impetum: excelluisse eundem verecunda, recta et castigata carminis pulchritudine. Quae ab aliis acceperit, ea multo ornatiora et pulchriora ab illius ingenio prodiisse. Quo loco etiam Vir Cl. se ex variis caussis suspicari fatetur, ex Alexandrinis inprimis poetis Virgilium profecisse: his eum naturalem illam et parum operosam, cum tanto tamen cultu, ornatu et dignitate coniunctam vetustatem debere.

Veniendum tandem est ad ipsos Viri Cl. commentarios, quibus inprimis se noua haec poetarum Latinorum principis editio commendat. Ante omnia vero de contextu verborum dicemus.

Ipse poeta ex Burmanniana recensione vnice excusus est. Illam vero ex Hein-

sione expressam esse constat. In contextu verborum nihil mutatum est a Viro Cl. vt decet Criticum modestum et sapientem. Quod non ideo a se factum esse fatetur, quod non multa loca in Virgilio adhuc aut mendo aut mendi suspicione laborare existimet, sed quia innouatio omnis in textu non modo periculi et dubitationis habeat plurimum, verum etiam, dum subinde noua exemplarium discrepantia inferatur, plus molestiae et taedii, quam fructus et vtilitatis, afferat. Textum inter et commentarios posuit indicem variarum lectionum, ex Burmanniana editione et Martiniana, atque e Pierii notationibus excerptum. Comparauit etiam Codicem Mediceum a Fogginio expressum, Vaticani codicis fragmenta a Bartolo excusa, codicisque Romani lectiones ab ipso additas exscripsit. Praeterea nactus est tres codices e bibliotheca Gothana, quos diligenter recenset. Neque tamen meminimus, corruptis locis restituendis et emendandis multum eos prodesse, aut insigniores lectiones offerre. Huic lectionum varietati saepe etiam iudicium suum sententiamque Vir Cl. interposuit.

*Praef.* p. 12.

p. 39.

In ipſis commentariis eam rationem ſecutus eſt, quam vtinam omnes ſequantur, qui edendos explicandosque veteres auctores, poetas inprimis, ſibi ſumant. Nihil enim ad ingenii orationisque elegantiam comparandam efficacius, quam ſi poetarum acumen et artem in inueniendis, collocandis et ornandis rerum argumentis, in ſententiarum et verborum dilectu, oſtendamus animisque aſſequi ſtudeamus. Quare, licet, vt par eſt primam et praecipuam curam in explicandis illuſtrandisque iis, quae difficilia ad intelligendum et obſcura ſunt, poſuerit, quod interpretationis genus feliciter Noſtro ceſſiſſe multis locis deprehendimus (*), vbique tamen diligenter et acute quoque artificium poetae in tractanda re et ornanda, dilectum, elegantiam, honeſtatem, conuenientiamque imaginum, ſententiarum et orationis notauit. Quam Viri Cl. rationem multis poſſemus exemplis illuſtrare (**), niſi ſatius videretur, voluptatem ea cogno-

(*) v. p. 167. 192. 215. 246. 283. 289. 346. 357. 373. 379. 380. 387. 406. 417. 412.

(**) p. 150. 276. 341. 371. 393. 395. 407. 411. 413. 415.

cognoſcendi integram lectoribus relinquere. Ne tamen omnino totum hoc notationum genus ſilentio praetereamus, tria repetemus exempla, valde illa luculenta. Notus eſt pulcherrimus locus Virgilii in Georg. III, 10. ſequ. *Primus ego in patriam* etc. Sed nullus interpretum monuit, quam rationem coniunctionemque cum reliquis habet illa templi aedificatio, quam ſe meditari poeta dicit. Apte vero Noſter totum locum e ſollemnium in Graecia ludorum hiſtoria illuſtrat. Non minus elegans eſt Viri Cl. obſeruatio ad initium libri IV. vbi adoleſcentes ad duo attendere iubet: primum ad artificium, rem tenuem et exilem imaginibus, cum gratis et iucundis, tum praeclaris et magnificis ſine inepto tamen faſtu, ornandi, deinde ad calliditatem in inferenda varietate ac copia in argumentum, quamuis ieiunum et exile, quorſum maxime epiſodiorum opes referendae. Quam praeclare porro poeta hominum attributis vſus ſit et quomodo hinc maximum ornatum petierit, docet. Neque tam coeco amore poetam ſuum Vir Cl. proſequitur, vt illum naeui ipſi delectent aut operoſum defenſorem nanciſcantur. Nam in illis verſibus:

*Nam qua Pellaei* etc. (Georg. IV, 287-293.) Virgilii acumen et verecundiam desiderat. Quanquam enim singula membra suo ornatu ac lumine fulgere fatetur, nimis tamen protractam et impeditam orationem frigere et paullo ieiunius Nili naturam bis describi existimat. "Sed et hic, addit, mihi videtur Euphorionem aliquem aut *alium* „poetam Alexandrinum expressisse, „quem locum qui animo tenebant Ro„mani poetae copia magis forte dele„ctabantur, ac nunc in nostris animis, „hoc auxilio destitutis, fieri potest." Vt vero poeticum ornatum eo luculentius lectorum oculis subiiceret, et qua in re Virgilianae orationis pulchritudo ac praestantia quaerenda sit, quam clarissime ostenderet, saepissime sententiam pedestri oratione expressit (*). Hoc enim dum egit, copiam fecit cuilibet poeticam orationem cum solutae orationis formulis comparandi, et quid notioni, simpliciter in commentariis expressae, a poetae ingenio et copia siue ad pulchritudinem, siue suauitatem omnino-

(*) v. c. p. 113. 165. 175. 223. 260. 267. 313. 345. 350. 385. 368. 390. 403.

omninoque ad ornatum accesserit, inde discendi.

Quod si tamen animi sensa libere eloqui fas est, videtur Vir Cl. interdum ad formularum locorumque explicationem descendisse, quorum sententiam cuiuis notam esse sperare licet, qui se ad Virgilii lectionem conferat, aut ad quam perspiciendam non magna animi intentione opus est. Dum enim tota optimi viri mens atque cura in eo defixa fuit, vt omnia quam clarissima redderentur, vt sententiae quasi oculis sensibusque subiectae palpari viderentur, ea quoque attigit, quorum interpretatio omitti poterat. Vt, quid notemus, facilius intelligatur, specimina quaedam eiusmodi notationum e Georgicis petemus. *III*, *247*. informes vrsi: *deformes*, *turpes*: *cf. Cerda.* — *III*, 376. defossos specus *pro fossis dixit*: defodere *est proprie alte fodere, mox et fodiendo aliquid condere.* — *III*, *382*. Gens effrenorum virorum: *vulgari ratione*: *h. immanium, ferorum.* — IV, 295. ipsos contractus ad vsus — locus: *contractus*, *coarctatus*, *spatio angusto factus*: *ad hunc ipsum vsum.* — IV. 286. omnem repetens — formam: *rei memoriam, narrationem.* — IV. 491.

 victus

victus animi: *noto graecismo, pro animo, cupiditate*. Plura indicauimus infra (*): rem vero ipsam attigimus, cum quia etiam hunc fructum ex litterarum nostrarum studio percipiendum esse Virum Amicissimum sibi persuasisse noui, vt aliorum dissensum aequo animo feramus, tum, quod, si nec de illis reticuerim, quae mihi secus videantur, eo ipso fidem ingenuis laudibus facturus mihi videor.

Potest his aliud notarum genus addi, quod ad doctrinam poetae spectat. Nam vbi ille siue e fabulis et historiis quaedam repetiit, siue e Graecorum poetarum imitatione nonnulla posuit, indicauit breuiter illa loca. Sic in Georgicis inprimis subiunxit scriptorum de re rustica loca, e quibus poetae praecepta lucem accipiunt, inprimis Varronis et Columellae. Toto vero in hoc interpretandi munere quomodo versatus sit, ipsius verbis Viri Cl. narrabimus, quem huic promissioni satisfecisse ipsa libri lectio quemque docebit. "Eam, vero

*Praef.* „inquit, legem et regulam, quae omni-
p. 10. „bus interpretibus proposita esse debet,
„vt nihil, quod luce aliqua indigeat,
„cum

(*) p. 400. 409. 410. 420. 421. 441.

„ cum ad illuſtrandum difficile ſit, omit-„ tant ac praetereant, nihil quod ſatis „ lucis habeat, alienis luminibus affuſis „ offuſcent et obſcurent, nunquam ex „ oculis dimiſi, atque ea adeo induſtria „ et cautione me illud aſſequutum eſſe „ ſpero, vt, ſi non raram doctrinam, „ inauditas obſeruationes, ſeueras in alios „ ſtricturas attulerim, at vtiles tamen „ commentarios in poetarum principem „ condiderim, in quibus ea propoſita „ ſunt, quibus eius lectio adiuuari, „ commendari et, ſi non omni moleſtia „ liberata, at cum voluptate tamen ali-„ qua coniuncta videri poſſit."

---

## V.

ΝΙΚΑΝΔΡΟΥ Θηριακὰ καὶ ἀλεξιφάρμακα: *Nicandri* Theriaca et Alexipharmaca: *Io. Gorrhaeus* Latinis verſibus reddidit, Italicis vero, qui nunc primum in lucem prodeunt, *Ant. Mar. Saluinius*: accedunt variantes codicum lectiones, ſelectae adnotationes et Graeca Euteçni Sophiſtae metaphraſis, ex codicibus Mediceae et Vindobon. Bibliothecae deſcripta,



ac

ac nondum edita, curante *Ang. Mar. Bandinio* I. V. D. S. C. M. Reg. Mediceae biblioth. et pub. Marucellianae praefecto. Florentiae, ex officina Moückiana, 1764. pagg. 376. 8.

ΜΟΥΣΑΙΟΥ του γραμματικου τα καθ Ηρω και Λεανδρον: *Musaei* Grammatici de Herone et Leandro carmen: ab *Ant. Mar. Saluinio* Italicis verſibus, nunc primum editis, redditum: accedunt praeter Latinam interpretationem, variantes codicum lectiones, ſelectae adnotationes et Index Graecus verborum: recenſuit et illuſtrauit *Ang. Mar. Bandinius.* — Florentiae, typ. Caeſaris, 1765. pagg. 108. 8.

ΤΡΥΦΙΟΔΩΡΟΥ αἰγυπτιου τε γραμματικου Ιλιου αλωσις: *Tryphiodori* Aegyptii Grammatici Excidium Troiae Graece et Latine: accedit interpretatio Italica *Ant. Mar. Saluinii* nunc primum edita ex autographo Biblioth. Marucell. recenſuit, varias Mediceorum Codicum lectiones et ſelectas adnotationes adiecit *Ang. Mar. Bandinius.* — Florent. typ. Caeſareis 1765. pagg. 104. 8.

ΑΡΑΤΟΥ

ΑΡΑΤΟΥ Σολεως Φαινομενα: *Arati* Solensis apparentia: *M. Tullius Cicero* Latinis versibus reddidit: Italicis vero *Ant. Mar. Salvinius*, qui nunc primum ex autographo bibl. pub. Marucell. in lucem prodeunt, curante *Ang. Mar. Bandinio* — qui *Hugonis Grotii* Supplementa in Tullii versiones et notas aliquot adiecit. Florent. typ. Moückianis, 1765. pagg. 144. 8.

Vno sumus titulo complexi vnius eiusdemque parentis filiolos, praesertim cum, vt decet fratres legitimis nuptiis genitos, summam inter se habeant similitudinem. Exanguis cuique vultus et species exilis, quam frustra patris indulgentia conquisitis ornamentis tegere studuit.

*Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.*

Sed sine ambagibus loquamur.

Commouerunt animum nostrum, fatemur, ea verba, quibus V. Cl. suam operam nobis commendauit. *Ne nobis,* inquit, *amici lectores, bonarum litterarum sitis ingrati, quum vobis nocte dieque vel supra vires laboremus, nullis* *Praef. Tryph.*

*parcen-*

*parcentes sumtibus; quamuis magnis ac parui facientes labores omnes, etiamsi in voluptate viuere et in ocio esse possemus.* Quae si Auctor ex animi sententia vereque dixit, dolemus profecto illius sortem. Licet enim vel summa cupiditate ardeat, bonarum litterarum studia iuuandi, quoquo modo nullique labori parcat, admodum tamen exiguum inde laudis fructum eum relaturum esse videmus. Nam nullum aliud de his, quas indicauimus, editionibus scriptorum Graecorum iudicium ferre possumus, quam quod tulimus olim (*) de Callimacho Bandiniano, quem nobis parum placere professi sumus; nec speramus fore, qui Bandinianas editiones ad elegantium editionum seriem (**) conficiendam sibi comparet.

Ipse quidem intelligere fatetur, optimam emendandorum veterum auctorum rationem e codicibus peti (†). Sed modo ipse nullis vsus est, modo eorum lectio-

(*) Vol. II. p. 140.

(**) *una bella serie di poeti Classici Greci.*

(†) *La più sicura maniere di restituere all' antico splendore i classici autori dipende dal consultare le antiche membrane e le migliori edizioni.* v. Praef. Musaei p. 7.

lectiones ad emendanda corrupta loca non recte adhibuit. Commentarios et raro addidit; et, si quasdam adnotationes adspersit, nihil, quod non vulgare esset et pueris cognitum, attulit. Quae de vitis auctorum in fronte editionum leguntur, ea excerpta sunt e Fabricii bibliotheca Graeca; ne additis quidem iis editionibus, quae post Fabricii aetatem prodierunt. Quid igitur praestitit *Bandinius*, quod non quiuis se praestiturum esse polliceri possit? Quid effecit, quod laude aut commendatione dignum esset? Immo vt quid de sententia nostra existimandum sit, clarius appareat, de singulis editionibus agemus.

Quod ad *Nicandrum* attinet, illius vitam a Fabricio sumtam esse, iam monuimus. Subiectae textui sunt variae lectiones duorum codicum e bibliotheca Riccardiana et Mediceo-Laurentiana. Sententiam Auctoris de iis et iudicium frustra quaesiuimus vbique. Interim tamen haec editio ornamentum non leue accepit ab Eutecni metaphrasi, quae nunc primum edita est, nec parum interpretationem poetae iuuat. Illam descripsit e codicibus duobus, Laurentianae

nae bibliothecae, in quo codice prior metaphraſeos pars deeſt, et Vindobonenſis. Aliquoties tamen magnas lacunas (vid. p. 298. 302.) deprehendimus. Quod ſi vero Bandinius docti Critici munere fungi voluiſſet, cum ipſam hanc metaphraſin emendare debebat, tum illa vti ad corrupta poetae loca corrigenda. Sed ipſe videtur praeter deſcribendi codicis laborem nil ſuſcipere voluiſſe. Inde etiam modo metaphraſis accentibus notata eſt, modo iisdem caret. Reliqua, quae haec editio habet, titulus indicat: Gorrhaei vero adnotationes verboſas eſſe ſine neceſſitate moleſtasque ſaepenumero notum eſt.

*Muſaei* carmen expreſſum eſt ex editione, quae Lugduni a. 1737. prodiit. Schraderi editionem, copioſo et docto commentario inſtructam, ignoraſſe videtur. Certe illius nullam fecit mentionem. Latina, quae Graecis verſibus appoſita eſt, verſione nil poteſt ineptius cogitari. nam verbum verbo redditur. Ipſe *Bandinius*, quod memorabile eſſet, adiecit nihil. Nam *Selectae*, vt iſtam notarum farraginem appellat, *adnotationes*, (p. 72-91.) e doctorum virorum, qui Muſaeum interpretati,

terpretati, commentariis compilatae sunt. Ipsum vero *Bandinium* e codicibus, nondum ab aliis excussis, varias lectiones attulisse, non memini me obseruare.

In *Tryphiodoro* excudendo operis tradidit Iacobi Lectii Corpus poetarum, vnde etiam sumsit Latinam versionem, cui tamen *se medicam aliquando manum admonuisse* dicit. id quod raro factum esse putamus. Nam sat barbara vbique et obscura illa versio est. Comparauit duo codices bibliothecae Mediceo-Laurentianae, Sec. XIV. et XV. exaratos, eorumque lectiones proposuit. Praebent illae profecto non malignam ingenii Critici ostendendi materiam, quam etiam in hoc auctore Editor neglexit. Nos inter lectiones eas obseruauimus non paucas egregias, quibus Tryphiodorus optime emendari poterit. Quare futuro Tryphiodori editori non ingratam rem fecit Vir Cl. hoc lectionum variarum indice exhibito. (v. c. *verf. 95. et verf. 303.*) Animaduersiones Bandinianae quatuor paginas implent, quarum specimina quaedam dabimus. Nam talia non quotidie occurrunt. Audiamus igitur inauditam antea doctrinam. Verf. 39. de Troia: θεοκμήτων

ἐπὶ

*ἐπὶ πύργων: a deo exstructis.* *Neptunus namque et Apollo Laomedontis pretio conducti muros Troianos aedificauerunt.* *Iliad. lib. κ. et φ.* — Verſ. 18. Ἀντιλόχῳ: *filius fuit Neſtoris, interemtus a Memnone, Aethiopum rege. Calaber lib. 1. παραλιπ. Homeri.* — Verſ. 89. Ἴδης: *Mons eſt Phrygiae, non procul a Troia, in quo expoſitus fuit Paris, ſomnio quodam terrifico matris Hecubae, vbi quoque arbiter trium dearum fuit conſtitutus, certantium de formae praeſtantia.* Quis non credat, pueros ſolos exſpectaſſe lectores commentariorum ſuorum Bandinium? Sed in Germania ne pueris quidem talia ſcribuntur; in ſcholis tantum dicuntur a magiſtris. Praeterimus alia de Teucro, de Philoctete, de Aiacibus, quorum pudeat Bandinium.

*Arato* nulla lectionis varietas addita eſt. Reliqua vero editionis bona e titulo cognoſcuntur. Sed, quarum naturam inde nemo colliget, de *Selectis adnotationibus* hic quoque dicendi locus eſt. Duas tantum paginas iis perdidit. Nam vere chartae perduntur eiusmodi nugis, quibus non Minellius, non Iuanckerus magis ridiculas egerunt. Vis tu exempla? *Verſ. 283.* Equi vis: *Scilicet Equus,*

quod

*quod ex Graecorum imitatione Lutetiæ familiare est.* — *Vers.* 342. Curriculum nunquam sedans: *id est, nunquam cursum inhibens, nunquam quiescens.* Sed pudet plura addere. Quomodo vero in Italia eiusmodi liber emtores inueniat, aut quisquam e tam exili ieiunoque opere aliquam laudem sperare possit, me non intelligere fateor.

---

## VI.

La Philosophie de l'histoire par feu l'Abbé Bazin Critiquée par *Chrétien Fréderic Schmid*, Assesseur de la Faculté de Philosophie en l'Université de Leipsig.

à Leipsig, chés Iacobaer. 1766. pagg. 70. 8.

Virginibus puerisque Lipsiensibus haec se decantasse ipse fatetur Auctor (*), oblitus honorum nominisque *Assessoris Philosophicae Facultatis*, magnamque ex

(*) p. 8. *C'est pour la satisfaction* de nos Dames & de nos jeunes Seigneurs, *que nous allons découvrir les fourberies de l'Auteur.*

ex libello, nisi malis illum *Pegaseium melos* appellare, famam procul dubio consecutus laudemque ab *Assessorum, Adiunctorum, Magistrorum, Baccalaureorum* collegiis,

*vbi tota cohors pede non est altior vno.*

Quare etiam in refutando Voltario, cuius de Philosophia historiae librum nos quoque indicauimus (*) alio tempore, ita versatus fuit, vt, quaecunque diceret, placerent pueris, digna pueris essent, solis probarentur pueris: immo non nisi a pueris proficisci posse viderentur.

*Puerile* fuit consilium Auctoris, Gallice loquendi, et, nemine cogente, se ipsum exponendi eorum risui, in quos sat acerbe inuehitur. Quare etiam accidit, quod quisque sapientior paullo illi praedicere potuisset. Vbique oratio patriam auctoris redolet, qua pedem nunquam extulit: vbique formulae occurrunt, ab ingenio Gallici sermonis alienae. Quod multis, nisi poeniteret chartarum, nisi hoc alio loco facere constituissemus, exemplis ostendere nobis liceret. Sed quid exemplis opus est? Nam quam Gallici sermonis cognitionem ab illo exspe-

(*) Vol. III. p. 17.

exspectes? qui, cum eodem fere tempore, quo hunc infelicem libellum euulgauit, Lipsiae nescio cui nuptias gratularetur, in fronte carminis illam formulam (*), quae hercle! non decet *Assessorem Philosophicae Facultatis*, posuit ignorantia sermonis, meritissimo risu ab omnibus exceptus?

*Puerilis* est, quam in sententiis Voltarii confutandis iniit Auctor, ratio. Is est auctor Voltarius, quocum profecto nemo in certamen descendat, cui non ingenii acumen, elegantia et venustas adsit. Raro enim argumentorum pondere ab illo res agitur: saepius salibus et leporibus assensionem lectorum captat, aut eloquentiae artibus veritatis vim infringere conatur. Nec Voltarium sacrorum librorum aut Caluinii auctoritate moueri norunt, qui illius libros legerint. Argumenta postulat ex interiore Philosophia repetita, non pias concionatoris querelas. Quicunque igitur aut aliam viam init, aut inferior ingenio et acumine cum illo disputandi consilium capit, is non solum efficit nihil, adeoque frustra laborat, sed no-



(*) *Consommation du mariage.*

est etiam ipse, quam defendendam suscepit, causae. At

*hic, hic, quem quaerimus, hic est,*

Non solum enim aliquot Theologiae et Philosophiae *Compendiorum* praesidio munitus *Schmidius noster*, sed salibus quoque et facetiis armatus Voltarium prouocat.

*Pueriles* autem si dixerimus esse Nostri iocos, ne aegre ferat libertatem iudicii nostri, oramus. Nam cuiuis non datum esse habere nasum, forte olim a magistris suis audiuit. Immo eo lubentius ingenii iocosi laude carebit, quo doctiorem vbique libello suo speciem conciliauit. Videamus interim iocos Schmidii! Non durius putat ob ea reprehendendum esse Voltarium, quae de Americanis falso commemorauerit: nunquam enim eum ibi fuisse (*). Papae! Ecquando vero ex America Lipsiam rediit *Vir Cl. Christianus Fridericus Schmidius?* Nam qui ipse non fuit in America, illi non ita loqui licet. — Aliquoties etiam tragoedias et comoedias

dias

(*) p. 20. *Ce que l'Auteur dit au sujet des Americains, peut lui être pardonné, parce qu'il n'y a jamais été.*

dias Voltarii irridet, quem putat, *Comoedi* nomine dato, acerbissime perstringi (*). Quis vero adeo inuisus omnibus diis viuit, qui non malit a se scriptas esse Voltarianas fabulas, quam omnes, quas in *Cathedra* egit *Amplissimus Assessor*, tragoedias? Quis non praeferat, siue ingenii diuini vim, siue famae immortalitatem, siue fructum inde ad animos spectatorum redundantem spectes, vnam Voltarii Zairam omnibus, quae vnquam habuit, habebitque vnquam Schmidius, siue Theotisco, siue Gallico sermone scriptae fuerint, *disputationibus?*

*Puerile* ostentat Etymologiae studium, quod in hominem, Sec. XVIII. natum, cadere nunquam putassem (**). Eiusmodi argumentorum argutiis nisi

Gg 3 prauus

(*) p. 19. *Ne diroit-il pas, qu'ils ont de l'esprit, si au lieu d'aller à l'Eglise, ils venoient frequenter son Theatre? Tel est l'esprit des Comédiens.* add. p. 23. p. 65.

(**) p. 24. בָּבֶל *Babel est formé de l'infinitif* בלבל *balbel, qui signifie confondre. De là vient encore* balbutire *en latin:* babiller *en françois, &* babeln *en allemand.*

prauus Voltarii animus vincatur, de eo corrigendo omnino desperandum est. Licet vero Auctor queri possit, immerito sibi, de *nagarum*, quarum iam vetus fit magister, origine disputanti, fidem derogari, fatebimur tamen verbum, quod affert, Theotiscum nos nunquam fando audiuisse. Non decet Schmidium, puellis et pueris suis verba, forte a plebe sumta aut aniculis, recitare.

*Pueriles* de physicis auctor opiniones protulit. Cur, quaeso, certi populi nigram faciem habent? Cur? nempe a Chamo descendunt auctorisque generis sui crimina vultu nigro luunt (*). Auctorem vero, totum terrarum orbem Noae tempore aquis fuisse mersum, putare, miramur (**). Sed fuit haec etiam aliorum sententia. quare mittamus haec. Quae vero de aquis coelestibus (***) dicit, ea nemo aut dixit vnquam,

(*) p. 11. *Souvenons-nous, que les Négres sont de la postérité de Cham, & que toutes les prédictions portées contre le fondateur de cette famille du genre humain, ont du être accomplies dans ses Descendans.* (**) v. p. 22.

(***) p. 57. *La voute azurée, qui environne nôtre globe, fut formée d'eaux selon*

quam, aut audiuit. Immo et oracula a diabolis reddita fuiſſe (*) edoctus forte a neſcio quo genio, narrat. Certe cui talia in mentem venire poſſunt, illum Deos orare iubebimus quotidie, vt

*ſit mens ſana in corpore ſano?*

Certe hinc intelligere poteſt Auctor, non ſolos poetas, vt pro vrbanitate ſua dicit (**), mentiri. Huc etiam pertinet alius locus, quem iis examinandum relinquam, ad quos res pertinet (†).

 Ipſe

*ſelon la Genêſe. C'eſt encore la tradition des Orientaux &* l'on auroit tort de s'en moquer. *L'eau eſt naturellement gélée; elle ne devient liquide, que par la chaleur. L'étendue immenſe de la route céleſte nous force de croire, que des eaux éloignées du notre: chaleur, doivent être naturellement gelées. C'eſt dans ce beau Criſtal, que ſe mirent les étoiles du firmament. Y a-t-il rien, qui choque la phiſique?*

(*) p. 41.

(**) p. 15. *on ſçait, que les Poëtes de Profeſſion ſont des menteurs privilégiés.*

(†) p. 12. *Les plantes ſont nourries du Ciel: mais l'homme eſt libre:* la durée de ſes jours dépend *des moiens, qu'il choiſit* lui-même, *pour conſerver* les forces de

ſon

Ipse vero Auctor cur non animi vires sui augere, certe integras seruare studet, si, vt putat, tam facili negotio homini efficere hoc datum est?

*Puerilem* Philosophiae cognitionem, aut, si mauis Theologiae, aliquot locis obseruauimus. De *diabolis* enim ita loquitur, vt paullo acutiores loqui non solent. quanquam fateor, me non assequi sensum loci, vbi dicit, omnes Deos profanarum gentium fuisse diabolos (*). Sed reliqua eo clariora. Asinam Balaami humanas voces emisisse, sibi certe persuasit (†), angelo adstanti rem tam miram tribuendam esse ratus. Quae de serpente, Euae corruptore, in primo Mosis libro leguntur, non allegorice explicari posse docet (††): immo serpentem illum, non [illegible] fuisse [illegible]

*son ame & les organes de son corps. L'état phisique dépend de l'état moral, & la corruption du corps est une suite inevitable de la corruption de l'ame.*

(*) p. 62. *Saint Paul dit, que tous les sacrifices des paiens sont offerts aux diables, & non pas à Dieu: celà prouve, que tous les Dieux des Paiens sont autant de Diables, & qu'un Chrétien doit les regarder, comme tels.*

(†) p. 57. (††) ibid.

fuisse simplicem serpentem, sed ipsum diabolum (*), diabolorum principem, Satanam. Atque hunc esse eundem diabolum, qui in historia Iobi occurrat. (Et quid si idem diabolus Auctorem quoque in fraudem induxit, totque errores inspirauit bono viro?) Eiusmodi mysteriis qui initiatus est, quique de obsessis a malis geniis hominibus et de magia (**) eas sententias tenet, quas Schmidius profert (***), isne cum *Voltario* disputet? Nec illum nobiscum disputare volumus, qui peccati Adami mentionem fieri dicit in libris omnium populorum profanorum, quorum vtinam nomina edidisset! De ipsius argumenti, quod acutissime excogitatum esse quis neget? vi nihil dicam (†). Cre-

 do,

(*) p. 60. *ce fut le Diable, Satan par excellence.* p. 61.

(**) p. 59. (***) p. 18. p. 61.

(†) *C'est que l'Auteur par raillerie de la seduction des premiers hommes par l'adresse du serpent, lui fait très peu d'honneur.* Si la chose n'étoit pas réelle, *en seroit-il parlé non seulement dans la Bible, mais même, dans les livres sacrés* de tous les Paiens, *dans les traditions* de tous les peuples de l'Univers?

do, dialecticis his armis superatum iri Voltarium. Aliud exemplum occurrit ubi Auctor de nutritis coelesti cibo Iudaeis loquitur (*).

*Pueriles* errores *Schmidius* fere semper committit, quoties de rebus antiquissimis loquitur. Quaecunque de Troglodytis dicuntur, falsa censet, et ficta (**), licet meliora discere potuisset a multis (***). Hebraicam linguam, qui antiquissimam omnium censet, nonne is *pueriliter* nugatur (†)? Puero sexenni forte haec dici possunt, atque etiam puellae non illubenter originem verborum, ex ipsa rerum natura arcessitam, audient. Sed viris, aut Voltario nefas est talia commemorare. Auctori tamen

(*) p. 28. *Les Hebreux eux-mêmes ont-ils jamais douté de la realité de cette manne, qui les nourrit dans les deserts?*

(**) p. 14.

(***) V. Michaelis Comment. Part. I.

(†) p. 13. *Une infinité de termes prouve évidemment, que l'Hebreu est la prémière de toutes les langues.* C'est que la signification ordinaire de plusieurs mots se rapporte à l'évenement, qui obligea le père du genre humain à s'en servir pour la prémière fois.

tamen haec ſententia adeo placuit, vt eam repeteret alio loco (*). Inprimis ſuaues de antiquiſſimorum hominum ingeniis ſententias animo complexus eſt. Nam primos homines *omnes artes* inueniſſe ſcribit (**) eosque magis *ingenti* viribus valuiſſe putat, quam nos (†). Nullo vero loco turpius labitur, quam vbi Patriarchas longe ante Abrahamum ſcriptura vſos, Abrahamumque fuiſſe *doctiſſimum*, et Aegyptios omnem eruditionem Ioſepho debuiſſe ait (††). Ille ſolus locus, qui tot errores ridiculos complectitur, hominis ingenium atque doctrinam clariſſime oſtendit.

*Pueriliter* agit *Schmidius*, dum, vt Voltarium refutet, hiſtoriarum monimentis contraria profert. *Iuliano* eam laudem

(*) p. 67. *l'Hébreu eſt la prémiere de toutes les langues*

(**) p. 14. (†) p. 23.

(††) p. 67. *Les Patriarches ont ſçu écrire* longtems *avant Abraham leur deſcendant: Abraham ce Fondateur de la Nation Juive* étoit infiniment *ſage & ſavant & les Egyptiens ſont redevables* de toute leur erudition *au Patriarche Joſeph, ſon arrière-petit-fils.*

laudem denegat (*), quem nec illi carpere tentauerunt, ingenioso Imperatori, qui vehementissime in eum inuecti sunt (**). Veterum scriptorum multos eadem de rebus Iudaeorum narrare, quae sacri scriptores commemorent, nunquam audiuimus, nunquam legimus, nunquam Auctori credemus. Quem vt refutemus, allatis scriptorum locis, non opus est. Legat ea, quae *Iustinus Lib. XXXVI cap. II.* memoriae prodidit, comparetque cum sacrorum auctorum narrationibus. Reliquos si scriptores euoluerit, idem inueniet. Quod si vero haec aliaque legerit Voltarius, eodem iure in Nostro exiguam Latini Graecique sermonis cognitionem notare et reprehendere poterit, quo Schmidius eam in illo notauit (†). Nam Sinensium quoque historiam

(*) p. 39. *Julien — qui avoit peu de bon-sens.*

(**) p. 67. *Herodote, Dion, Pline, Suétone, Plutarque, Tacite & Justin*, s'accordent avec l'histoire sainte en ce qui regarde les Juifs.

(†) p. 21. *il paroit évidemment, qu'il sçait très-peu du Latin, point de Grec, point d'Hebreu*, point de Chinois *& que pour toutes ces raisons il est incapable de puiser dans les sources.*

[illegible] de qua immodice tam tenuiter abiecteque sentit (*) minime nosse videtur. Nec dignus est, quem doceamus, quomodo meliora discat. Denique quam ridicula est comparatio illa inter templum Hierosolymitanum aliorumque templa populorum (**). Horum enim *omnia* templa ne *parvae quidem cellae* similia fuisse putat, in qua praeclarum, quem in manibus habemus, librum composuit. Aut nunquam, quae veteres scriptores de templis prodiderunt, legit, aut quovis *comoedo* et *poeta* impudentius mentiri voluit.

*Puerilibus* denique Auctor conuiciatur, maledictisque ea efficere studet, quae non alio modo se posse forte sensit. Nos non negamus, valde cuique displicere debere librum Voltarianum, cui religionis Christianaeque doctrinae cultus amorque cordi curaeque sit. Immo ingemuimus saepius, diuinum illud ingenium contemtu coelestis veritatis, quam defensione enitescere maluisse. Sed si Voltarii liber omnino refutandus est,

(*) p. 33.

(**) p. 44. *Aux prix de ce temple*, tous *les édifices de la superstition des Païens, disparoissent comme des Taupinières.*

est, quod non adeo necessarium iudicamus, profecto non conuiciis, non maledictis, quae grauem *Assessoris Facultatis Philosophicae* vultum non decent, inprimis si Gallice loquatur, ea res agi debebat. Ipsis etiam illis conuiciis nil inest facéti, aut iocosi. Concionatores quosdam imitatus Auctor videtur, quos accepimus interdum acerbitate verborum delectari (*).

Hanc igitur puerilium errorum farraginem quomodo edere potuit *Schmidius*, aut quo illam animo accepturum esse putemus Voltarium, immo quomodo eam iam accepisse virum ingeniosum dicamus?

*It noua, nec tristis, per cunctas fabula coenas.*

Nam procul dubio ipse Auctor librum suum Voltario misit, ad quem quas eundem litteras scripsisse credibile est? Aut ego parum recte cognoui Auctoris inge-

(*) p. 67. un simple menteur. p. 37. *Nous en parlérions avec plus d'étendüe. si le* caractére bas et rempant *de l'Auteur méritoit une réponse sensée.* p. 7. *peut être, qu'il rougiroit de son monstre.* p. 8. *Raisonneur* — ce ragout *de Philosophie.*

ingenium ex hoc libello, aut litterarum illarum argumentum non frustra audeo assequi. Ipse *Schmidius* omnium optime *magiae* vires, quibus tantum vbique tribuit, tenere videtur. Quid si ego igitur artibus, solis daemonibus aut eorum familiaribus notis, vsus, quid *Schmidius* scripserit, compererim? Vt vt haec sunt facta, litteras ipsas subiungam.

Illustri Voltario
S. P. D.
Christ. Fridericus Schmidius, Philos. Doctor, Artium Magister et Assessor Facultatis Philosoph. in Vniuers. Lipsiensi.

*Latinas litteras libro Gallico adiicio, vt me vtroque Marte valere intelligas, Vir illustris. Ipsum vero librum contra Te scriptum esse, intelliges, nec, mei consilii ratione perspecta, aegre feres. Nihil enim aliud in hoc meo libello componendo spectaui, quam vt aut amicum te nanciscerer, aut inimicum redderem mihi infensissimum. Vtraque enim via, fatebor Tibi, me famae maiorem celebritatem mihi conciliaturum esse spero. Nec, crede mihi, indignum*

*Tua*

*Tua amicitia Tibi virum adiunget. Primum, enim iam ante plures annos* Magistri *honorem titulumque impetraui, post examen rite institutum sustentatumque: deinde, vt fortasse nosti,* disputationes *aliquot scripsi, doctissimas, nisi, quod non puto, erro, et publice eas defendi,* ex cathedra. *Denique nuper erudite sacram scripturam interpretari incepi. Qualis in me Philosophiae, Physices inprimis, Historiae, et Gallici sermonis cognitio sit, ex hoc libello intelliges. Quae cum ita sint, cur me indignum censeas, cui respondeas litteris, priuatis primum, sed a me proxime euulgandis in Germania, tum ipso, si videbitur, libello, qui meum in fronte nomen gerat? Aliquoties paullo liberius tecum egi, Vir illustris, quam fortasse exspectas: immo vereor, ne iocorum meorum sale interdum grauius afficieris, quam ipse velim. Sed ignosces facile. Nosti enim, nos ingeniosos homines nil difficilius continere, quam iocos et facetias. Quare non puto te eodem loco me habiturum esse, quo habuisti miserum Freronium, aut, quia te Comoedum appellaui, (id quod feci, vt gratiam colligerem a patronis meis, quorum nonnullis*

*nullis nil vilius videtur comoedia) me quoque in theatrum producturum esse. Melius consules tuae meaeque famae si humaniter responderis et eleganter. Interim tamen non impedio, quo minus, hac si meae preces Tibi displicuerint, acrius duriusque mecum agas. Nihil enim aliud opto, quam ut homines sciant, Schmidium cum Voltario, Voltarium cum Schmidio disputare, quo res cunque cadant. Scio hanc controuersiam mihi multas ob causas vtilissimam fore. Certe, si nullum etiam alium fructum inde capiam, suaue est, audire, si per vias ambulem, homines sibi inuicem in aurem insusurrantes:* Hic est ille Assessor — nosti'n — quem Voltarius — Schmidius — quicum ille litteras. — *Hanc vero voluptatem si mihi inuideas, id est, si nihil responderis mihi, vide, ne te poeniteat superbiae aut negligentiae tuae. Tum enim opus inceptum Ienae a collegarum meorum aliquo, qui carmen, quod nosti, tuum* (*) *ad* syllogismos *acute reduxit, feliciter peragam, artisque syllogisticae imperitissimum te esse ostendam. Boni igitur Logici laudem gloriamque*

(*) *Candide.*

*riamque si amas, quae postulatui facies. Litteras Tuas auidissime exspecto. Vale. Scr. in Vniuersitate Lipsiensi, d. III. Ian. an. p. C. n. 1767. Magisterii vero nostri V. et Assessoratus Facult. Philosoph. II.*

Quid responderit Voltarius his litteris, forte alio tempore docebimus. Nam, vt eius litteras adipiscamur, omnem dabimus operam.

# CONSPECTVS LIBRORVM
## QVORVM CENSVRAE
## VOLVMINIS IV. PARTE IV.
## CONTINENTVR.

ΤΡΥΦΙΟ-

# I.

# INDEX LIBRORVM,

## QVI
## IN HOC VOLVMINE IV.
## RECENSENTVR.



Bodo-

*Histoire*

*Morel*

*Ueber*

II. IN-

# II. INDEX RERVM MEMORABILIVM.



*Ambro-*

*Epica*

*Nauiga-*

Sueto-

# CORRIGENDA

## IN HOC VOLVMINE.

p. 7. l. 13. l. *quaerunt* pro *quaerant*. p. 34. l. 24. l. *Mucium Scaeuolam* pro *Porsenam*. p. 35. l. 17. *vomere, qui* pro *quod*. p. 78. l. 6. l. *nec* pro *aut*. p. 109. l. 22. l. *incurrunt* pro *occurrunt*. p. 135. l. penult. l. *considerent*. p. 138. l. 26. l. *cur* pro *cum*. p. 159. l. 15. l. *ipsas*. p. 162. l. pen. l. *seruata*. p. 164. l. 16. l. *naturae*. p. 174. l. 24. l. *Plurimi verum*. p. 175. l. 8. l. *quos* pro *quas*. p. 204. l. 23. l. *de suis litteris*. p. 235. l. 21. l. *consilio*. p. 256. l. 24. l. *Nam* pro *num*. p. 264. l. 2. l. *de eo carmine*. p. 284. l. 24. l. *sacrum* pr. *sacram*. p. 305. l. 11. l. *Griffeto* pro *Griffetus*. p. 307. l. 10. l. *orationis* pro *orationibus*. Ib. l. 17. l. [illegible] pr. *non*. p. 308. l. 20. l. *Astyanacta*. p. 347. l. 8. l. *poenam* pr. *poetam*. p. 349. l. 11. l. *quique* pro *quoque*. p. 354. l. 19. l. *Bogdeix*. p. 361. l. 1. l. *alias*. p. 364. l. 14. l. *perstringentur*. p. 365. l. 8. l. l. *Chryses* pro *Calchas*. p. 367. l. 9. l. fuerit. p. 385. l. 26. l. *illud opus*. p. 386. l. 5. l. *non* pro *nos*. p. 417. l. 1. leg. *tabulas* pr. *fabulas*. p. 445. l. 9. l. *habeat* pro *habet*.